


AB
070





175 ~~V. 175~~

175













JOHANNIS JUSTI
WINCKELMANNI
CÆSAREOLOGIA

Sive,

QUARTÆ MONARCHIÆ
DESCRPTIO

A Julio CÆSARE, Romanorum
Imperatore primo,

Ad Imperium usque Inviētissimi
Imperatoris nostri

LEOPOLDI. &c.

Continuata & variis Ænigma-
ticis, æri incisis memoriamq; mirè
juvantibus figuris illustrata.

LIPSIAE,

Aptud TOBIAM Riesen.

LITERIS CHRISTIANI MICHAELIS,

ANNO. M. DC. LXVII.

1721
HISTORIE
GEBURTSLOGIA

DESSER
DES ERPTIO

DES ERPTIO
DES ERPTIO

DES ERPTIO
DES ERPTIO



DES ERPTIO
DES ERPTIO

DES ERPTIO
DES ERPTIO

DES ERPTIO
DES ERPTIO

DES ERPTIO
DES ERPTIO

289



*Strenuo & antiquâ Prosapia
Nobilissimo*

V I R O,

DN. SEBASTIAN-
FRIDERICO

â Rötteritz/

Illustrissimi DOMINI,

DN. ANTHONII-
GUNTHERI.

Comitis in Oldenburg &
Delmenhorst, Dynastæ in Ihe-
ver & Kniphausen/ &c.

*Consiliario intimo & Satrapæ in Vareb
Fidelissimo, &c.*

Domino & Patrono suo omni ani-
mi submissione jugiter honorando,
hunc observantiæ & amoris cippum
L. M. Q. erigebat

JOHANN - JUSTUS

WINCKELMANNUS.

X 3

Quod

V I S O
DR SEBASTIAN

FRIEDRICH

STADT

UND

DR ANTHONII

GUENTHERI

COPIE in Oldenburg &

...

...

...

...

...

...

...

...

JOHANNES

WINKELMANN

...

...

o
n
b
f
r
z
p
m
r
s
a
m





Uoties Te, gene-
rose Vir, intueor, to-
ties animadverto in Te
ingenii, doctrina & fa-
cundia rarioris dotes.
Omnem alii in divitiis doctrinam po-
nunt: Tu divitias in doctrina; illi For-
tuna, TIBI, Ô VIRTUTUM AMOR
Fortuna servit. Tu Literarum splendo-
re, honoris amplitudine, vitæ integritate,
sanguinis claritate, omnium animos,
qui literarum commercium exercent, ceu
Polus magnetem, attrahis, iisq; clarissi-
mus es, felici Musarum partu natus. Qui
rectè Te noverunt, tria maximè diver-
sa, atque eadem nihilominus indivisim
conjuncta, in Te admirantur, quòd in
dignitate publicâ, privati hominis hu-
manitatem: in molestis occupationibus,
X 4 ociosi

ociosi eruditionem: in aula summum sapientiae amorem, conjunxeris. Quid hoc est, nisi aeternum meditari decus, & sese terris subductam.

Stellis inferere & consilio Iovis? Avorum pro sapia clarissima est, quae sua lucis Eclipsin in Te pati non potest, cum in multa luce, imò fatali quodam omine, Sol natus sis. Antiquam sustines Familiae gloriam, VIRTUTE & DOCTRINA. Naturam Tuam norunt Boni: Mineruam Docti: Aream Prudentes, Accedit iudicium ILLUSTRISSIMI OPTIMIQUE COMITIS nostri, qui virtute, prudentiâ, doctrinâ Tuâ motus, noluit TE, nisi apud SE, esse.

Tot summi ingenii admirabilisque dexteritatis in Te monumenta cernimus, quot Legationibus es defunctus. Testis est Peregrinatio per Germaniam, Italiam Galliam, Angliam, aliasque Provincias, ubi GENEROSISSIMO
Do-

DOMINO ANTHONIO, COMI-
TI IN OLDENBURG *fidus felicissi-
mo sidere Achates adesse, & ad summa ni-
tentem juvare voluisti. Testes sunt Le-
gationes Svecicæ diversorum tempo-
rum diversa. Testis est nuperrimus ELE-
CTORALIS CONVENTUS Francofurti
celebratus, ubi tantus Electorū, Prin-
cipum & Ducum, Regiorūmq; Le-
gatorum & mortalium cæterorum con-
fluxus erat, ut hac urbs credi potuisset se-
minarium, ex quo Mortales Jupiter in
orbem emittit: vel quò fatis vocantibus
homines coeunt ad vitam iterum solē-
que redituri, ubi LEOPOLDUS IN RO-
MANORUM AUGUSTISSIMUM REGEM,
jam tum HUNGARIAE & BOHEMIAE
REX, unanimi Imperii Procerum Sere-
nissimorum consensu electus & solenniter
coronatus inter letissimas Populi accla-
mationes:*

Vivat. Leopoldus.

Imperator.

Verus. Augustus.

Probus. Iustus!

Quâ fide, solitudine, labore, ingenio, eloquentiâ, prudentiâ, gravitate, solertia, rerumq; successu Legationes istas expedieris, res ipsa, quasi luce clarius, ostendit.

Munia hæc Tua non nisi merita sunt, Auctoritas non nisi humanitas, virtutum & Elegantiarum publicus Patronus, meus privatus.

Cæterum antiquum & Nautis familiare est, ut dum mari se credunt, polaris stelle ductum & radios observent, ne, dum temerè fortè fluctuant, vel à portu penitus aberrent, vel eum non nisi tardè & summâ difficultate assequantur. Idem quoq; mihi faciendum, video: quàm varia enim in hoc mari pericula sint, quàm frequentia multorum naufragia, quotidiana testatur experientia. Id mihi ne contingat in Polum Te eligo. A Te ama-

ri, Tibi placere, voti mei non exigua pars
est. TE inter doctos amo: inter Bonos
suspicio: inter Nobiles veneror. Qui in-
ter Doctos Nobilissimus, inter Nobiles
Doctissimus, inter utrosq; optimus, &
clarus & Magnus es, & quod aestimo,
mihi Amicus: Tu Polus es, ego magnes.
Tu me attrahis candore Tuo, merus A-
mor & candor es. Ut ere jure Tuo, Tuus
ego sum. Sed esse me Tuum, tam luculen-
ter ostendam, ut perfectum amicitiae ex-
emplar seculis omnibus relicturus sim. In-
terim Lumen à Te mutuor:

Nobilis à Cöttritz, Dux, Sol, Cynosura,
Polusque,

Wynkelmanneæ dirige navis iter.

Dirige Nauclerum, tege Auctoritatis
Tuæ scuto, ut alacer & erectus per me-
dios sinistrè fortè judicantium fluctus in-
cedat. Vale, Historiarum Patrone, &
rem Literariam promovere perge, meq;
amare tantum quantum Te caelo. Dabam

Oldenburgi i. Nov, M. DC. LVIII.

IN Studio Historico plus satis esse deliciarum, plus satis utilitatis, nemo negat, nisi qui in meridie solem lucere negaverit. Magna est inter Artes & scientias conjunctio & arcta quasi affinitas contracta, quæ alteram alterius operâ carere vix sinit: Et quidem sine Historia nec ullæ solidè addisci, nec commodè tradi possunt. Adeo Historia ex abundantissimo ejus penu, tanquam ex aureo copiæ cornu largissimè suppeditat, non modo in univèrsum omnibus, sed etiam particulatim singulis. Dicant alii aliud, mihi non videtur mereri nomen literati, qui hospes est in historiis.

Nonne salutis nostræ sanctissimus Codex Historicus est? THEOLOGIAM sine sacra Scriptura nō subsistere,

sistere, omnes sciunt, quoscūque vasto suo amplexu circumglobat orbis. Siquidem hæc Historia est, sed sacra est.

Quid est JURISPRUDENTIA? Historia de variis variarum Rerum- publ. legibus. Tolle notitiam Romanæ urbis, & jam magna Digestorum pars non erit: tolle, & omnem Astræam error hallucinatio, in scitia involvent. Tolle solem, & diem spera: Historiam sperne, & Jurisconsultum age.

MEDICINA nihil aliud est, quàm historia de variis remediis oppositis morbo carnifici illi generis humani & severo exactori fatalis tributi, quod morti debemus. Pronunciat ipse *Galenus*, fons ille saluberrimus exploratissimæ sanitatis, in lib. III. Hippocratis de morbis vulgaribus, sine Historia Hygeiam non esse, sive

ut clarius dicam, Medicum non esse, qui historię usu destituatur.

PHYSICES præcipua & jucundissima & utilissima pars est historia animalium & stirpium.

MATHEMATICAE & ASTROLOGIAE vaticinia omnia & prædictiones ex historicis observationibus pendent.

ASTRONOMIA mutila est sine observationibus temporum, quæ in historiis notantur.

Quemadmodum in corporibus nostris venæ & arteriæ ideò mutuis orificiis junguntur, ut Spiritus sanguinè, quo aluntur, foveant, ne ille corrumpatur: Sic PHILOSOPHIA PRACTICA & Historia amicè conspirant, & sibi invicem respondent, dū *illa* quidè præcepta de virtutibus & officiis, *hæc* autem præclare exempla subministrat: *illa* mentem; *hæc* sensum informat: *illa* sapientiam accen-

accendit & fovet, *hac* felicem experientiam, alieno constante periculo, adjungit. In historiis, non ut in Philosophia morali muta præcepta sed viva occurrunt vitæ exempla, quæ nos à vitiis dehortantur, ad virtutem informant, & movent vehementius, utpote propiora, magisque explorata & certa. Imperfecta Philosophia est, quæ solis præceptis consumitur; ad exempla veniendum est, quæ geminâ velut urnâ, & manu nobis promit. Historia omnem virtutû apparatus vivis insculptum imaginibus continet, & quasi publicum promptuarium omnibus patet: siquidem illa Tuba Providentiæ Divinæ, Schola cognitionis Dei, circulus beneficiorû Dei, Palæstra prudentiæ, stimulus sapientiæ, calcar virtutum, interpretes dubiorum, nuncia Præteritorum, specu-

CU-

culum Futurorum, Præsentium fax
& moderatrix, testis malitiæ, & im-
probitatis, speculum vanitatis, im-
becillitatis & stultitiæ, vitæ condi-
mentū, salutare animi medicamen-
tum, breviarium experientiæ, scien-
tiarum Thesaurus, directrix disci-
plinæ bellicæ & togatæ, & ut uno
verbo dicam, compendium artis vi-
vendi est, & dici meretur.

Et quia PRINCIPĪ Historiarum
lectio perutilis, ideò reliquis exer-
citationibus Literarum Studia per-
misceat, nulla dies, *Cæsaris, Augusti,*
Trajani, Adriani, Antonini, exemplo,
sine lectione, scriptione abeat. Et-
iam inter arma historiarum memi-
nerit, quarum cognitio Imperatori
non minùs quàm armorum necessa-
ria. Prudenter filium *Basilus* monet
Imperator: *Per Historias veteres ire*
verecusa: ibi enim reperies sine labore,
quod

quod alii cum labore collegerunt. Atque
 illinc hauries & bonorum virtutes, &
 improborum vitia, vita humanae varias
 mutationes, & rerum in ea conversiones,
 mundi huius instabilitatem, & imperio-
 rum precipites casus; & ut uno verbo
 complectar, malorum facinorum pœnas,
 & bonorum premia, quorum illa fugias,
 ne in iustitia divina manus incidas; hæc
 complectaris, ut premiis, quæ illa comi-
 tantur, potiaris. In illa siquidem, tan-
 quam in lucidissimo speculo elucet
 experiëntia gubernationis retrò præ-
 teritæ, prudentia antecessorum, ho-
 minumq; multorum mens in unum
 collecta. Historia fideissimi Consi-
 liarii est instar, qui nunquam non
 præstò, & ad manum est, & mutus
 loquenti potentior. Ex quo die sæ-
 pè unâ, ad eoque horâ discet unâ, quæ
 maxime fortunatissimi que exerci-
 tum ductores, per sudores, vulne-
 ra,

ra,

ra, sanguinem, damnaque, ætate totâ, pace belloque, consecuti sunt.

Historia quasi quasdam addit menti alas, ut liberè animo ac mente per omnes terrarum ac maris partes peragrare, per omnis ævi, omnis loci gesta pervolare & coràm quasi intueri, cùm velit, possit. Hæc fortissimorum Imperatorum bellicas artes describit, hæc pugnandi modum docet, hæc subtilissima Stratagemata declarat, hæc dolos hostium manifestat, insidias revelat, consilia communicat, omniaque pro salute Reip. peragenda suggerit atque subministrat. Quid jucundi⁹, quàm rerum omnium gentium ac nationum universalium, regnorum, imperiorum, Rerum publ. urbium, & id genus rerum ad urbes aut civitates pertinentium, Principia, progressus, incrementa, finem, interitum,

tum,

tum, admirabilesque statuum conversiones & mutationes videre, contemplandoque expendere? Quid denique amœnins, quàm summorum Heroum interiora consilia dicta & facta perspicere ac intelligere, cum Imperatoribus colloqui, cum *Julio Cesare & Carolo Magno*, aliisque militatum ire, cum iisdem tot populos devincire, amplissimasque domum reportare victorias? Et sanè mihi videtur, historiam officinam esse, in qua Principes & Duces omnem apparatus bellicum asservare consueverunt.

Ego cum maximo fructu putarim, veterem illum Persarum morem, à *Xenophonte* celebratum, posse revocari: ubi Adolescentibus & pueris ingenuis non solum suus erat Senatus, in quo de rebus quidem puerilibus, & certè tamen ejusmodi,
quæ

quæ ad vitam formandam, pietatem excitandam atque excolendum ingenium pertinebant, agebatur, quisque sua proponebat, judicabatur & judicabat, eaque ediscebat, quorum usum & tractationem adultiore ætate cum domi, tum foris si quando in Reipubl. negotiis muneribusq; versaretur, adhibere, rerum haud omninò ignarus, posset. Aderat a. Moderator aliquis, qui quæ rectè judicata erant, suffragio suo & collaudatione comprobabat, quæ secus, moderatè castigabat. Hæc apud veteres fuit ratio educandæ juventutis ad Rempubl. si non perfecta, certè & prædicanda, & nobis imitanda.

Quod si duo, tres, sex, pluresvè familiarissimi quasi ex pacto, indistinctaque ei mulctâ, qui negligens repertus fuerit statis diebus horisque, modò

modò à prandio, modò à cœnâ, ani-
 mi causâ & veluti per lusum affue-
 scant convenire, & primus latinis
 verbis ex probato autore Historiam
 recitare de *Julio Casare*, alter de *Aw-*
gusto, tertius de *Tiberio*, quartus de
Caligula &c. dubium non est, quin
 placidus hic congressus omnia le-
 via & svavia sit effecturus. Volo au-
 tem in Historiis non tam verba, quæ
 tamen non erunt planè negligenda,
 quàm Personas, Res & circum-
 stantias ponderari. Etsi quidem te-
 merarium & periculosum sit in tan-
 ta varietate & inconstantia rerum
 consilia exemplis moderari & diri-
 gere, si non eadem ipsissima ratio-
 nes eadem circumstantiæ universè
 & singulatim omnes concurrant,
 quia nulla fabula & exemplum al-
 teri per totum & singulas partes &
 circumstantias simile, quippe for-
 tuna

tuna varietate delectatur: quod videre est in mortalium faciebus, licet altera alteri similis est, per totum tamen non similis est. Reperies ubiq; quod altera, ab altera differat: plerumque tamen similia è similibus existunt, nec quicquam fermè hodie fit, quod non prius sit factum, cum omnes casus velut in orbem sui similes aliquando redeant, nec tam res ipsæ, quàm personæ, loca, tempora saltem mutantur, uti Thucydides lib. 1. Belli Peloponnesiaci loquitur. Semper agitur eadem fabula, nunc quidem Comœdia, aut Tragœdia, nunc autem Tragico-mœdia, personis tantum mutatis. Quare etiam solum fermè hunc finem *T. Livius* historiæ suæ statuebat, in principio Historiarum: *Hoc illud est, inquit, præcipuè in cognitione rerum salubre ac frugiferum, omnis te exempli*

empli documenta in illustri posita monu-
mento, intueri, ut inde tibi tuæq; Rei-
publ. quod imitere, capias, inde fœdum
inceptu, fœdum exitu quod vites.

Proinde omnia dicta, facta, lecta,
visa, in nostrum, sive publicum, sive
privatum, usum debemus conver-
tere.

Romani in constitutione & admi-
nistratione suæ Reipubl. exemplis
Græcorum sæpè usi sunt. Primo
præcipuas Leges & judiciorum or-
dinem ab Atheniensibus accepe-
runt, missis ad eos tribus Legatis, ut
Livius lib. 3. & Gellius lib. 17. c. 21. refe-
runt. Deinde, cùm magnitudo usur-
rarum præberet occasionem sedi-
tionibus, consilium Solonis de *σεν-
σας δεια*, id est iniqui oneris excus-
sione (quâ debitores omni ære ali-
eno liberabantur, Latini appella-
bant Tabulas novas) secuti usuras
ad

ad centesimas redegerunt. Præterea quemadmodum *Thrasylus*, ejectionis triginta Tyrannis, Athenas rediit, ibique Amnistiam, h. e. sempiternam veterum injuriarum oblivionem, edixit. Sic, cum post mortem *C. Julii Caesaris* omnia plena odiorum simultatum, discordiarum, perfidiæ & bellorum civilium fuerant, ita ut imperium suâ ipsius mole laborans ad occasum tenderet; eâ tempestate *Cicero*, ut homo sapientissimus & antiquitatis peritissimus, ex secundo ἐπιτηδεύων, vel παραλειπομένων *Xenophontis* medicinam arripuit, & ἀμνησίαν, id est, sempiternam injuriarum oblivionē, à *Thrasylulo* inductam, quasi postliminio revocavit, ut *Reipubl.* labascenti auxilium ferret, propria verba in prima *Philippica*. pag. m. 1033. ita se habent; *In templo Telluris, quantum in*

bs

me

me fuit, jeci fundamentum pacis, Athenien-
 ensiumq; renovavi vetus exemplū; gra-
 cum etiam verbum usurpavi, quo tum in-
 sedandis discordiis erat usa civitas illa,
 atque omnem memoriam discordiarum
 oblivione sempiternā delendam censeo.
 Quemadmodum enim hæc Atheni-
 ensium politicæ jam olim profuerat &
 ita & tunc Romanæ profuturam ef-
 se censebat. Profuisset autem pluri-
 mum, sublatis bellis intestinis, si
 Antonius Triumvir suo furore cru-
 delissimis deliberationibus incita-
 to, regniq; cupiditate incensus hoc
 ipsum propositum impedivisset.

Neque verò nunc propter brevi-
 tatis studium subjicere libet, quo-
 modo idem *Marcus Tullius*, natus pa-
 triæ civis, ex eventu belli Mariani,
 in quo multum sanguinis Romanæ
 profusum erat, nihil monitorum
 aut querelarum prætermiserit, &

XX

ante

ante bellum Pompejanum vel iniquissimam pacem justissimo bello præferendam esse judicaverit. Nam seditio domestica tantò nocentior est bello, quod consentientibus animis adversus externos geritur, quãtò bellum pejus est pace. *Germani* in constituendis olim *septem Electoribus* videntur imitati esse *Lacedæmoniorum* quinque *Ephoros*, aut *septem Principes Persicos*.

Quemadmodum admirabile est, decem topicorum locorum tam angusto alveo omnem immensitatem cogitationum humanarum concludi; ita & ego facile dixerim, Imperatores *Quartæ Monarchiæ* esse posse instar locorum communium.

Nos laudare solemus hortos eos, in quibus lilia, violæ, rosæ, variaque pomorum genera suis sunt locis collecta, quæ pulchritudinis, odoris,

ris,

ris, saporis etiam varietate delectant.
In nostra quarta Monarchia occur-
runt CXXII. Imperatores, eorum-
que res gestæ, mores, virtutes; vitia,
dicta, consilia, ordinatæ acies, va-
riique utriusque fortunæ felices in-
felicesque; eventus, breve imperium,
amplectenda, fugienda, sequenda,
imitanda, cavenda, & sexcenta alia,
quæ vel ignavisimos homines ad
virtutem cum *Julio Casare*, visâ Ale-
xandri M. imagine, possent inflam-
mare, vel à vitiis & sceleribus deter-
rere. Habet unum hoc commodum
Princepsa malus, inquit *Saavedra*,
quòd ejus postea cadaver per ana-
tomiam quasi interspicere pruden-
tiæ liceat, & Reipubl. malè admini-
stratæ rimari morbos & causas, atque
iis parare remedia. Ita Pictores Scul-
ptoresque in suis ipsi officinis pictu-
ras varias, & statuarum fragmenta

sibi proponunt ante oculos, ut, quid scite elaboratum, quid secus euriosè observent. Atque ex hoc eodem fonte illa Historiæ in scribendo libertas nascitur, *ne scilicet virtutes stentur, ut que pravus dictis factisq; ex posteritate & infamia metus sit.* Verba sunt Taciti lib. 3. *annal.*

REX & PRINCEPS magnos inveniet Imperatores, non rerum tantùm gestarum gloriâ magnos, sed prudentiâ, vitæ integritate, reliquarumque regiarum virtutum studio magnos. Quod si in omnibus unum non deprehenderit magnum, è singulis, in qua excelluerunt, magnitudinem deligat, sequaturque, quod laudatissimum in singulis deprehenderit. In divitiis cum *Tito, Constantino, Theodosio, Carolo M. Friderico,* munificentiam; in verecundia cum *Gordiano, Maximiliano,* frontis teneri-
cudi-

tudinem; in cibo & potu cum *Traja-*
no, Antonino, Gratiano, parsimoniam
 & temperantiam; in vestitu cum
Augusto modestiam; in congressibus
 cum *Vespasiano, Tito, Rudolpho Habsbur-*
gico, facilitatē & comitatem; in ju-
 stitia cum *Trajano* raram clementi-
 am; in morte cum *Maximiliano I, Fer-*
dinando I. alacritatem; in adversis
 cum *Henrico IV.* constantiam; in se-
 cundis cum *Carolo V.* modestiam; in
 tormentis cum *Mauritio* patientiam;
 in tristibus cum *Henrico III.* lætitiā
 in lætis cum *Tito* moderationem in
 privatis injuriis contemnendis cum
Augusto, Tito, Antonino, Trajano, Vessa-
siano, beneficentiam; in pietate co-
 lenda cum *Alexandro Severo, Maxi-*
miliano II. Ferdinandis, assiduitatem;
 reliquasque in aliis Imperatoribus
 virtutes discat & imitetur. Si Stre-
 nuos Imperatores petere velit, quos

) () (3

imi-

imitari possit, proferret *Julium Casarem, Vespasianum, Trajanum, Alexandrum Severum, Constantinum M. Theodosium M. Carolum M. Heinricum Aucupem, Carolum V. Rudolphos, Fridericos, Ferdinandos*. Si pacis, quietisque Amantes, ostendet *Augustum, Maximilianum II. Ferdinandum III.* Prudentiam si suis depictam coloribus videre velit, aspiciat *Augustum, Antoninum Pium, Alexandrum Severum, &* discat, prudentiora & tutiora esse consilia, quæ à pluribus tractantur, quàm quæ unius cogitationibus agitantur. Si literis & artibus instructos Principes, dabit *Julium Casarem, Hadrianum, Antoninum, Tacitum, Sigismundum, Maximilianum*. Principi frugali deesse pecuniam non posse, docent Imperatores Romani; docent alii semper *Claudio, Caligula, Vitellio, Neroni*, defuit: nunquam *Augusto*, quod daret,

ret,

ret, defuit. Seipsum vincere, docet
Carolus V, Si gratos in Præceptores
 expectat, habebit *Trajanum*, qui *Plu-*
tarchum in tanto habuit honore, ut
 eum Romæ Consulem creârit; *Mar-*
cum Antonium, cujus tam eximia in
 Præceptores fuit pietas, ut ipsorum
 imagines aureas in larario recondi-
 tas asservaret, eorumque sepulchra
 hostiis ac floribus exornaret; *Gratia-*
num, qui *Ausonium Gallum* Consu-
 lem fecit, aliaque beneficia maxima
 in eum liberalissimè contulit. De-
 siderat exempla, quos rectè monita
 plerumque reprobos reddiderunt
 deteriores, repræsentabit. Quid
 profuit *Neroni* gravissimorum viro-
 rum, *Seneca* & *Burri* diligens institu-
 tio? Quid *Galba* natura & institutio
 bona? Quid *Commodo* quod à pio pa-
 rente, optimorumque Curatorum
 cōsuetudine aliquandiu cohibitus?

Quid *Juliano*, quòd initiò piè ab *Eusebio* institutus, post à *Libanio* sper-
mologo ad ethnicismum retractus?
Qui omnes, ubi Reipubl. gubernacula adminihrare cœperunt, deter-
rima mōstra exhibuerunt. Longum profectò esset, singula virtutum ge-
nera percurrere. Si desiderat vari-
am in omni genere fortunæ vicissi-
tudinē extollentē, ludentē, ridentē
sævientem, difficile penē judicare
est, an usquam alibi æquè tragici ca-
sus legātur, atque summorum duo-
rum Herōum C. *Jul. Cesaris* & *Pompeji Magni* fuere. Hic nō poterat fer-
re parem, nec ille superiorem: quā-
ta in magnis fortunæ documenta
dederunt: hic, ut tristem vitæ sor-
tiretur exitum, manus sicarii Eunu-
chi effugere non potuit: Ille verò
viginti tribus vulneribus ad terram
datus, sanguine curiā implevit, qui

orbem sanguine natare docuerat.
 Qvis ferrum in *Caligula, Nerone, Galba*
Ottone, Vitellio, Domitiano; Qvis in
Tiberio, T. Claudio, venenum; Qvis in
Valentiniano, Gordiano seniore, laqueū;
 Qvis truncatos in *Leontio, justiniano*
juniore, nares & manus; Qvis in *Ma-*
ximino, Balbino, Theodosio III, Valen-
te, Zenone, Heracleone, Mauritio, Pho-
ca, arma, ignes, secures, ignorat?
 Quos fortuna in imperio statuisse
 videtur, ut ostenderet, quid summa
 vitia in summo imperio possent.
 plerumque sine cæde & sanguine
 pauci, descendunt Reges & siccâ
 morte Tyranni. Qvi magnorum
 imperia & exitus cogitat, regno-
 rum ponet cogitationes, nec aliena
 circumspiciet, contentus suis *Se-*
curus vivit, quisquis parvo conten-
 tus vivit. Vis exitus superborum
 intueri *Caligulam, Claudium, Neronem,*

Domitianum, Commodum, Phocam,
 hominum portenta. Mores intue-
 re & exitum, & dum hunc merito
 perhorrescis, illos devita, eò etiam
 magis, quòd nulla diu stare sub su-
 perbo vertice pax possit, reseca ca-
 put, & exarescent membra; excin-
 de superbum, & bella deerunt, &
 pax alta occupabit orbem.

DUCES: perpende nimis magna
 & funesta Ducum documenta in
Belisario & Narsete sub Justiniano,
Stilicone & Rufino sub Honorio & Ar-
 cadio.

NOBILIS es: contemplare *Diocle-*
tianum, Carum, Rupienum, Maximinum,
Macrinum, Pertinacem, Valentianum,
Valentem, Zenonem, Justinum, Justinia-
num, Mauritium, Phocam, Theodosium
III. Leonem Isauricum, ex infima o-
 mnes plebe. Sepone ergo Genus,
 Avos, Proavosq; ; virtutem intueri.

At.

Attolle Te & circumfer contem-
plando, quid rectum, quid pravum,
quid turpe, quid honestum; & in a-
gendo cerne, quid expetendum,
quid sequendum diligendo, quid
fugiendum rejiciendo. Mansuetu-
dinem pro saevitia indue; pro Mo-
rositate Comitatem; Benignitatem
pro Asperitate; pro Avaritia Liber-
tatem; Castimoniam pro libidine;
pro Luxu Moderationem; Tempe-
rantiam pro Innocentia; Modesti-
am pro Fastu; Humilitatem pro Su-
perbia; virtutem denique omnem
pro vitio amplectere.

Dici hoc de omni hominū gene-
re potest, summorum, mediolorum, infi-
morum. THEOLOGUS in hac Monar-
chia inveniet, quæ, & ubi, & qualis
semper fuerit Ecclesia Christi, quo-
modo collecta, defensa & inter im-
periorū ruinas conservata sit; quos

) (6

Do.

Doctores & testes veritatis eximios
 quæ certamina & liberationes mi-
 randas habuerit: ubi & quo tempo-
 re Synodi celebratæ fuerint: habe-
 bit, quos imitetur, *Petrum, Paulum,*
Johannem, Ignatium, Basilium Hussum,
Lutherum, aliosque innumeros.

JURISCONSULTUS es, *Papinianum*
 sub Caracalla, *Ulpianum* sub Ale-
 xandro Severo, *Tribonianum* sub Ju-
 stiniano, *Irnerium* sub Lothario,
Petrum de Vineia sub Friderico III.,
Bartolum & Baldum sub Carolo IV. &
 cætera illa Jurisprudentiæ lumina
 cogita, vota & consultationes su-
 mes, quæ forum & lucrum vincunt,
 incredibile, quantam in sequelam
 & fugam vim exempla habeant.

Tu, qui Regum & Principum co-
 gitas amicitias, *Sejanum* lege Tiberii,
Commodi Cleaneum, Constantini
Abtavianum, Arcadii Eutropium, Frideri-

ci *Vineam*, similésque fortunæ pilas.
Eadem dico de omni hominum
Statu.

Prægustum aliquem propositi
mei habetis omnes & singuli. Quic-
quid orbis habet, hîc est, quicquid
habuit, hîc invenitur.

Proinde semper accurata Historiæ
alicujus anatomia instituēda est, ut
exinde eveniat verus ejus usus pra-
cticus, qui est ex aliorum bonis vel
malis haurire aliquam vel pruden-
tiam, vel jucunditatem, & discere,
quid in simili casu faciendum vel
fugiendū. Omnia olim facta hodi-
ernis aut sunt similia, aut paria, aut
cōtraria. Si similia, simili, si paria, pa-
ri; si contraria sunt, contrario modo
de themate aliquo enūcianda sunt.
Qui supellectilem possidet splen-
didam & bene instructam, nec eā u-
titur, stultus est. Nihil prodest, nihil
juvat

juvat cognitio, si actio & applicatio
intermittatur. Semper itaque com-
paratio aliqua instituenda & in no-
strum usum convertenda. Unico
saltem Exemplo mens mea erit cla-
rior.

Regnum ROMANORUM sim-
pliciter quidem initium habuit si-
mul cum urbe ROMA, quarto an-
no Olympiadis sextæ: MONAR-
CHIÆ autem dignitatem habere
cœpit in *Julio & Augusto*, Cæsaribus,
& stabit usque ad finem mundi. Ve-
rùm, ut hominibus singulis adole-
sentiæ suæ, robur, senectus, mors;
ita & rebus publicis: incipiunt, cre-
scunt, stant, florent, atque omnia
ideò, ut cadant. Bellissima compa-
ratio illa est, ubi *Historia Romana*, ævo
proxima, magnitudine prima, viris
virtutibusque fœcundissima, famâ
æterna, quasi *homo, ut caperit, ut adole-*
verit,

verit, ut quasi ad quendam juventam flo-
rem pervenerit, ut postea velut consenu-
erit, consideratur. Florida scriptio
est, floridū argumentum, uno ver-
bo autor ipse *Florus*: Prima ætas sub
septem Regibus fuit, de quibus appli-
cationem instituire mihi lubet cum
primis Imperatoribus Romanis &
septem Planetis.

ROMULUM ego comparo *Julio Cæ-*
sari, nisi quòd *ille* urbis initium, *hic*
finem posuit. *Romulus* enim armis
Rempubl. instituit: *hic* armis ever-
tit. *Ille* ex nihilo urbem ampliavit:
hic maximæ & opulentissimæ urbis
vires fregit. *Ille* Senatum ordinavit:
hic perculit: *Ille* ab hasta, vel lancea
dictus *Quirinus*; *Hic* sive ex nativi-
tatis conditione, sive à Cæsarie, *Cæ-*
sar dictus. *Ille* demum à patribus di-
scerptus; *hic* à suis equidem Patrici-
is occisus est. confertur cum h.

2. Se-

2. Sequitur *Augustus* Imperator, haud *NUMAE POMPILIO* dispar, æquè sacer uterque, æquè Pacis amator. Mite Amborum ingenium, æqua in utroq; humanitas & Reipubl. cura fuisse traditur. De præfato *Numa Rege* testantur scriptores, ejus lenitate opus fuisse, quò populus post *Romulum*, belli autorem, ferox religione, emolliretur. Consimiliter *Augustus* Imp. seculo bellis & dissensionibus, conturbatissimo, ideoquè datus erat, ut moderatione & benignitate suâ truces animos mitigaret, duros inflecteret. Olim *NUMA* primus *Fidei Templum* posuit, *AUGUSTUS* sacravit *Aram maximam Primogenito DEI*, 4

3. Jam *Tiberius TULLIO HOSTILIO* minimè dissimilis, qui populum à religione ad arma transtulit: *Hic* enim quiescentem *Reipubl.* partim

timignaviã, partim incuriã, turba-
vit. Qui Armeniam à Parthis, Mœ-
siam à Dacis, Pannoniam à Sarma-
tis, Gallias à Germanis vastari ne-
glexerit. Et ille Rempubl. pugnan-
do substituit: *hic* pugnam negligendo
imperium evertit. ♂

4. *Cajus Caligula* durius ingenium,
quàm ut ANCO MARTIO coæquari
possit. Verùm æqua impendiorum
utrique cura: sed *illi* utilis, *huic* par-
tim inutilis: Ancus enim urbem
muro cinxit, ponte Tyberim junxit,
& Hostiam maris portum edificavit.
Cajus opera sub Tiberio imperfecta
absolvit. Inchoavit aquæ ductum è
regione Tiburti. Amphitheatrum
constituit, Bajarum medium inter-
vallum ad Puteolanas moles usque,
trium millium & sexcentorum fer-
mè passuum spacium conjunxit. ○

5. TARQUINI PRISCI genus ex-
terum

terum, quod idem nonnulli in *Claudio* arbitrantur. *Ille* trabes, curules, annulos, phaleras, paludamenta, & prætextas primus instituit, multaq; ad ornatum civium cōtulit. *Hic* pleraque circa civilem morem, item circa civilem morem, item circa omnium hominum statum domi forisq; correxit, equestres milicias ordinavit, labentemque aliquantulum *Rempubl.* continuit. Denique uterque mulierum fraude circumventus est, dum *illi* successorem *R. Pop.* parere student. §

6. *Iisdem* necesse est, ut *SERVIIUM TULLIUM* adjungam, quò res magis ordine, quàm serie, procedat. Postquam è Romanis Ducibus *Germanici* etiam imperium fraude *Tiberii* subtractum est, qui quartus in ordine meritò cum *ANCI* virtute conferri debuit. §

7. *Nero*,

7. *Nero*, postremus è Cæsaris pro-
genie, cum SUPERBO TARQUINIO Re-
gum novissimo jure comparandus
est. Uterq; enim Reipubl. suæ ho-
stes; uterq; Populo Rom. in visus:
adulteriis, rapinis, incendiis, oppu-
gnatione bonorum, postremô con-
temptione Deorum immortalium
urbe ejectus, finem imperio, *Hic* et-
iam urbi, unde imperium emerse-
rat, imposuit. D.

Nolo comparationem per reli-
quos tres gradus, brevitatis gratiâ,
extendere.

Pari similitudine utitur *Cicero* s.
14. de finib. *Earum*, inquit, *etiam re-*
rum, *quas terra gignit, educatio quaedam*
& perfectio est; non dissimilis animanti-
um. Itaque & vivere vitam, & mori di-
cimus; arboremq; & novellam, & vetu-
lam, & vigere & senescere. Qvis non
miretur à **RUDOLPHI HABSBURGEN-**

sis stirpe surgentem in immensum
 Austriacæ sobolis arborem, curve-
 scentesque hinc inde Regiis & Im-
 peratoriis fætibus ramos; Hinc
 sceptram micant, illic diademata ful-
 gurant; hinc paludamenta radiant,
 illic trabes splendent, alibi impe-
 ratorii fasces ramos opacant. Den-
 santur omnia Regum, Ducum, Im-
 peratorum perpetuâ copiâ, ut præ-
 ter in numeros facile commendati
 nominis Archiduces & Principes,
 XV. Imperatores. I. Rex Romano-
 rum, III. Imperatrices. V. Reges Hi-
 spaniæ, X. Hungariæ, XI. Bohemiæ,
 I. Electus Poloniæ. Itemque III.
 Hispaniæ. IV. Galliæ, VI. Hunga-
 riæ, VI. Bohemiæ, VI. Poloniæ,
 I. Neapolitana & I. Daniæ Regi-
 næ, omnes fortissimi & Magnani-
 mi Heroës, & Heroinæ incompa-
 rabiles ex hac splendidissima Ar-
 chidu-

Archiducum Austriae profapia pullu-
larint.

Felicissimus hac in parte Floi
imitator *Johannes - Petrus Lotichius*,
Historicus nominatissimus, Amicus
meus singularis, in *Austriad. parv.*
pag. 23. Augustissimam Archiducum
Austriacam Familiam tanquam
hominem considerat, & quatuor illos
gradus processusque, & inter hos
PRIMAM AETATEM sub *Rudolpho I.*
fundatore, *Alberto I. & Friderico I.*
constituit, & hanc INFANTIAM dicit.
Ubi autem sub *Alberto II. & Frideri-*
co II. eminentia, autoritas, opesque
crescerent, constitutio jam Austriae
Archiducatu, utique Imperatorum
Romanorum seminario. Quis hanc
non nominabit ADOLESCENTI-
AM, tanquam lacertos jam move-
re potentem? Succesit paulò læ-
tior robustiorque sub *Maximiliano I.*

CARO

Carolo V. & Ferdinando I. Imperatoribus, JUVENTUS. Apud Politicos meretur Canonem, perhibentes, tum demum Regnum aliquod, sive magnum Principatum, constabiliri, si accidat, ut tres numero Magnates, sibi ordine succedentes, virtute valeant. Quis igitur ambigat, post octo in Imperio Romano ad clavum sedentes, Imperatores Austriacos, imprimis tres illos modò dictos, haud interrupto ordine sibi invicem succedentes Imperatores, jam tum virtute & meritis eò usque imperium cæpisse confirmari. Quibus insuper accedunt ejusdem sanguinis Imperatores quinque, nimirum *Maximilianus II. Rudolphus II. Matthias, Ferdinandus II. Ferdinandus III. & Leopoldus*; ideò quis VIRILEM ÆTATEM dixerit. Annon haftenus tenore minimè interrupto, in imperio,

rio,

rio & quidem electivo summæ rerum præfuere NOVEM *Austriaci sanguinis Cæsares?* Tam sublimem & raram hæc Augustissima familia, cœlitus obtinuit prærogativam.


Si olim *Sulpitio juniori* à Q. Mutio cum opprobrio quodam, autore *Cajo*, objectum fuit: *Turpe esse Patricio Nobili, & causas oranti, jus, in quo versaretur, ignorare.* Profectò non modò indignum Romani imperii cive, sed etiam singularis negligentia genus esset, longèque turpissimum, originem, Majestatem & res præclarè gestas, tum veterum Romanorum Imperatorum invictissimorum, sub quibus natus, educatus & sub quibus larem, rerumque ac fortunarum suarum summam constituerit, non cognovisse, non explorasse. Proinde lubuit ex superioris ævi
an-

✠ (o) ✠

annalium fontibus ROMANO-GER-
MANICI IMPERII *Compendiarium*,
proponere, quam Historiarum Stu-
diosi tanquam statuam Mercuria-
lem sibi familiare redde-
re possunt.



IMPE-



I



Ga
vic
er
in
sub
ge
sto
Sc
ge
tas
tel
vi
Ja





IMPERATORES QUARTÆ MO- NARCHIÆ.

C JULIUS CÆSAR (a) Anno
 • Mundi 3902. (b) ex Romanorum
 Aristocratia *Quartam* inchoavit
 Monarchiam. Cùm in Hispaniæ
Gades venisset, ibiq; *Alexandri M. imaginem*
 vidisset, diu intuitus, in vocem & gemitum
 erupit: *Heu! nihil memorabile à me gestum*
in atate, quâ ille totum terrarum orbem sibi
subjecit. Non gestum, sed gerendum. (c) De
 generosa ejus indole plurima tradunt Hi-
 storici, inter quæ etiam illud, quod diversis
 Scribis uno eodemque tempore *dictare, le-*
gere, scribere & audire potuerit, (d) Per no-
 tas scripsit, ut nullus ne verbum quidem in-
 telligeret. Ejus *Scripta* de *Bello Gallico* & *Ci-*
vili hodie in magno habentur pretio. *Leges*
Julias tulit. (e) Scientiæ Astronomicæ addi-
 A Etisfi-

*Laudis
cupi-
tas.*

*ex-
lentia
ingen-
Scripta
na.*

Aug. Stissimus, Annus in commodissimum re-
 degit ordinem, (unde Julianus vocatur) fe-
 citq; eum dierum 365. sexque horarum. (f)
 Gloria Ejus imago insistit globo, atque alterâ qui-
 ppum. dem manu gladium, alterâ librum tenet,
 cum hac inscriptione: EX UTROQUE CAE-
SAR. Et certè his duobus, ARMIS scilicet
 & LITERIS dominus totius orbis factus g)
 Epy. Ejus equus ferocissimus fissis in modum di-
 gitorum unguis, pedes quodammodo hu-
 manos referens, sefforem, præter ipsum ad-
 Bellator misit neminem h). Collatis signis dimica-
 mag. vit quinquagies, ejusque ductu undecies
 ed. h. m. centum nonaginta duo millia hostium cæ-
 u. h. a. sa sunt. Imperator initio laudabilis, post tot
partas verò victorias superbissimus & omni-
um quot fuerunt ambitiosissimus. Non
 Ambitio. potuit ferre superiorem, Pompejus ve pa-
rem, quem prælio fudit i). Ob ambitionem
 populo invisus, an. ætatis 56. Imperii verò
 quinto incomplete, k) 23. plagis confos-
sus l) cecidit. Inter conspiratos fuere Cas-
sus & Brutus m) quos pro filiis habitos, ad
 summos evexerat honores. Bruto [quod
 notabile] in tumultu pugione eum inva-
denti, dixit: Etiam tu venis, mi fili.

II. AUGUSTUS *a)* successit *A.M.* 3907.

b) Princeps prudens, justus, & felix, sed infelix pater. Modestus atque parcus in cibo

c), sæpè aquâ & pane contentus, nec superbus

d), ideò, quòd vestitus insignis & mollis vexillum superbiæ, luxuriæque indicium sit, dixit. Sed aliter *Filia* ipsius *Julia*

nimis superba & lasciva, dicens: *Genitor oblitus se Casarem, ego verò memor, me Caesaris esse filiam.*

Romam è lateritia marmoream reliquit *e)*, optimisque institutis excoluit, hinc meritò *PATER PATRIAE* atque

AUGUSTUS dictus est. *Pacem* toti terrarum orbi restituit *f)*, ideoque *Jani Templum* ter

clausit. *g)*. Pace per totum orbem confirmatâ, natus est *DOMINUS PACIS, JESUS CHRISTUS, ÆTERNI DEI ÆTERNUS FILIUS*

HOMO IN TERRIS EX MARIA VIRGINE *A.M.* 3949. *b)*, à quo nos *Christiani* & nomen & aram habemus *i)*. Augustus aram

Primogenito Dei exstruxit. Obiit *Nolæ* *A. Imp.* 56. *k)* morte placidissimâ, inter amplexus *Liviæ* uxoris, hâc emissâ voce: *Livia nostri conjugii memor, vive, & vale.* Moriturus *vite* derisit *vanitatem*.

III. *TIBERIUS* *a)* successit *A.C.* 14. *b)*

A 2 *Ver-*

Versipellis, minusq; *simulandi & dissimulan-*
di artifex c), cui perpetuum aliud in pecto-
 re clausum, aliud promptū in lingua gerere.
 Insigniter doctus & eloquens. *Præsidibus*
 onerandas tributo Provincias svadentibus
 rescripsit: *Boni pastoris est tondere pecus, non*
deglubere d). *Sejanum* in gradu honoris &
 potentix eminentissimo, ob ingenii simili-
 tudinem locatum, dejecit, inque carcerem
 dejectum interfecit, cujus cadaver per pla-
 teas ductum, triduoque insepultum in Ti-
 berim abjectum est *e)*. *Voluptatibus & ebrie-*
tati deditus, ob *bibacitatem* à militibus di-
 ctus *Caldius Biberius Mero f)*, pro *Claudio*
Tiberio Nerone. Sub hoc CHRISTUS à Jo-
 hanne Anno ætatis 30. baptizatus *g)* & 33.
 crucifixus *h)*. *Drusus*, Filius Germanici, in
 carcerem trusus, in quo, cū se miserandis
 alimentis, manso ex culcitra *tomento*, no-
 nū ad diem sustentasset, inediā confectus *i)*.
Tiberius veneno, è vivis sublat9, ingenti cum
 populi gaudio, cū regnasset 22. annos &
 7. menses *k)*.

IV. *CALIGULA* à *caligis* militaribus
 dictus *a)*, success. *A.C.37. b)* *Optimi Patris*
Germanici, pessimus filius. Homo magnæ
 pro-

prodigalitatē, tanquam gurgēs & vorago
 publici patrimonii non toto vertente anno
 sestertiūm vicies millies absumsit c). Non
 Principem sed monstrum se exhibuit. Ty-
 rannus & nefarius *fratrem* interfecit d). *Tres*
sorores incestu polluit e). Contra fulgura
 fulguravit f), usus illo Homérico, *aut vin-*
cere aut vinci, aut tollere aut tolli, Senatores
 multos interfecit, optavitq; populum Ro-
 manum unam habere cervicem g). Interfe-
 ctus à tribuno Militum 30. vulneribus h).
 Regnavit annos 3. Menses 10. i)

V. TITUS CLAUDIUS a) successit A.
 C. 41. b) Princeps pusilli & abjecti animi,
 vino, ventri & libidini deditus. Portentum
 hominis nec absolutum à natura, sed tan-
 tum inchoatū, unde mater sæpè usurpabat
 prov. *Claudio stultior* c). Edicta uno die
 proposuit 20. ridicula & puerilia, inter quæ
 etiam hæc: *Ut ubere vinearum proventu be-*
ne picarentur dolia d): & quo veniam daret,
crepitum ventris emittendi, cum periclitatum
quendam præ continentia comperisset. Hinc
 ita evuluit, ut litigator quispiam ei aliquan-
 do dixerit: *Et Senex & Stultus es*. *Alea*
 Studiosus fuit, exinde de alea peculiarem

librum scripsisse fertur. Uxor eius *Messalina*, portentosa libidinis foemina, male cum eo contenta, *Mnestrem Histrionem*, mandato quasi mariti, ad concubitum pellexit e). Eadem *Caligula* ulciscendo autores necis interfecit. *Messalinam* ob adulterium occisam, duxit *Agrippinam* fratris sui Germanici filiam, a qua Imperiosissima fungo seu boletto venenato, adjuvante Xenophonte Medico, Anno Imperii 13. & Mense 8. f) extinctus, dicens:

Boleti lethi causa fuere mei.

Cum in Deorum numerum relatus esset, Nero dixit, *Fungos esse cibos Deorum, quoniam Claudius esu boleti Deus factus.*

— VI. NERO a) successit A. C. 54. b) Claudii privignus, ab eodem adoptatus, initio per quinque annos laudabilis, quamdiu *Burrhus* & *Seneca*, Imperatoriae juventae Rectores, abditis ejus vitiis, obsteterant, unde *quinquennium Neronis*. Reliquum vitae eo cum dedecore transegit, ut pudeat memorare. Matrem *Agrippinam*, quae *Coloniā* condidisse dicitur, incestu pollutam, interfecit; interfectae membra contemplatus: *Nesciebam*, inquit jocando, *me tam pul-*

pulchram habere matrem c). Puerum *Sporum* in formam mulieris transformare conatus, pro uxore habuit *d)*. *Poppeam Sabina*, foeminam ut pulcherrimam ita impudicissimam, gravidam ictu calcis interemit *e)*. *Britannicum* fratrem veneno sustulit. *Romam* in flammis surgentem conscius & latus è turri spectavit, culpâ translata in *Christianos f)*, & hoc nomine in illos *Tyrannus primus* sæviit *g)*, eorumq; Apostolos *Paulum* capite plecti *h)*, *Petrum* cruci affigi iussit *i)*; & *Senecam* Præceptorem neci dedit *k)*, tandem se ipsum interfecit, hiscè præmissis dictis: *Qualis artifex pereo? Turpiter vixi, turpius moriar. Ego nec amicum habeo, nec inimicum, qui me interficiat. Regnavit 13. annos, 8. menses l)*.

VII. GALBA *a)* success. A.C.68. *b)* Nerone occiso, jam senex, majori favore & auctoritate adeptus est imperium, quàm gessit. Homo in cibo, potu, & libidine præposterâ luxuriosissimus. Alienæ pecuniæ non appetês *c)*. Publicæ avarus *d)* Sux parcus *e)*. Manibus pedibusque articulari morbo distortissimus. Imperium ejus non fuit annuum, septimo enim mense, insidiis Ottonis,

à milite in foro jugulatus interiit f). Facto in se impetu, jugulum protendisse, & dixisse fertur: *Hoc agite, siquidem ita est ex re populi Romani.*

— IIX. OTTO a) successit A. C. 69. b) ortu majorum splendidus, sed effœminatus & vitæ turpitudine obscurus, nec ullo facto notus, nisi malo exitu, & brevi Imperio. *Galbâ*, quem sustulerat, haud diuturnior, à *Vitellio*, levi prælio ad Cremonam, victus, *mori, quàm sic imperare, honestiùs sibi, existimans*, in pugionem erectum, & utrâque manu suffultum, *incumbendo sereno vultu vitam finivit c)*, ann. ætatis 30. cùm regnâset 4. m. d). Hinc Ausonius:

*Fine tamen laudandus erit, qui morte
decorâ*

Hoc solum fecit nobile, quòd periit.

IX. VITELLIUS a) successit A. C. 69. b) primam ætatem apud Tiberiana scorta in ins. Caprea egit, & *Spintria*, id est, inventor mōstrosæ libidinis cognominatus est. Hinc *Caligula* per aurigandi, *Claudio* per alex, *Neroni* per Musicæ studium familiaris factus, & inde omni vitâ corruptissimus, tamque erat sordidæ gulæ, ut una cœna jussu ejus duo mil-

millia piscium, & septem millia avium apposita sint c). Pronus erat ad necem. Cùm vidisset cæsorū cadavera & hanc vocem detestabilem emisisset: Optimè olere hostem occisum, melius autem civem, animos bonorum exulceravit, à militibus, Vespasiano faventibus, intra ipsam urbem, prælio ter repetito, victus, seminudus per urbem raptus, stercoribus & cæno à plebe petitus d), minutissimis ictibus ex carnificatus & in Tiberim projectus fuit mense Imp. 8. e) ut ita intra biennium tres Imperatores Rom. per ludibrium perierint.

X. VESPASIANUS a) successit A. C. 69. b) Imperator mitis & affabilis, stabiliendæ Reipublicæ studiosissimus, offensarum ad eò non memor, ut inter virtutes vel præcipua fuerit, inimicitias oblivisci. Sola, ob quam merito culpatur, est pecuniæ cupiditas, nam etiam Cloacis vectigal cõmentus est, unde Proverbium: Lucri bonus odor est ex re qualibet c). Percrebuerat tum temporis in oriente constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Judææ Præfecti summa rerum potirentur. Id Judæi ad se trahentes rebellaverunt, & Romanos captâ Aquilâ fugarunt,

Ad hunc motum comprimendum missus est Vespasianus Dux strenuus; Sed ad assumendum Imperium ex Judæa revocatus. Filio suo *Tito* commisit administrationem belli Judaici. In hoc bello fame & gladio perierunt undecies centena millia Judæorum, unde Vespasianus dictus Judæorum Mastix d]. Clementissimus hic Princeps alvi profluvio inter manus sublevantium extinctus, cum decumbere inciperet, joco dixit: Ut puto, Deus fio. Synchroni, *Plinius Senior, Quintilianus, Josephus &c. reg. 10. an. e]*

XI. TITUS VESPASIANUS *a]* successit *A.C. 79. b]* Princeps laudatissimus, in Pace eloquentissimus, in bello fortissimus, in negotiis justissimus, & liberalissimus, adeo ut à beneficiâ amor & delitiæ generis humani dictus sit *c]*; Neminem à se tristem abire passus. Et die quodam recordatus se nihil alicui præstitisse, in ea verba erupit: Amici diem perdidimus d] à Patre in Judæa relictus, Hierosolymam expugnavit e], eâ expugnatâ, coronas sibi victori oblatas repudiâns, modestissimè respondit; Non sese illa fecisse, sed Deo iram suam declaranti manus accommodasse f]. Delatores flagellis susti-

*Jugobus
Wilhelmus*

fustibusque excipi jussit. *Vesuvius mons* A. C. 79. Calend. Nov. primum fumum, deinde globos igneos ejicere cepit g), cineres delati sunt usque in Africam, Syriam & Ægyptum, unde urbes cum vicinis pagis periere, & *Plinius Senior* h), author historiae naturalis, improvidus rei novae spectator, effuso cinere obrutus. Febre tandem excessit cum omnium luctu & mœrore, ut vix ulli Principi plus lachrymarum datum. Regnavit biennio, duobusque mensibus i).

XII. DOMITIANUS a) successit A. C. 81. b) Princeps vitiosissimus, Patri & fratri dissimilis, more *Caligulae* Dominum sese Deumq; appellari jussit, edictisq; suis praescribi voluit: Dominus & Deus noster sic fieri jubet. Ne nihil agere videretur, muscas stylo acuto confixit, unde interroganti, essetne quis cum Cæsare? Proverbio responsum; Ne musca quidem c). Sub eo Ecclesia secundam Persecutionem d) admodum crudelem passa est. Cujus intuitu Eusebius eum Neronianae sevitiae heredem appellavit. *Johannem Evangelistam* e) ex Epheso in Pathmum Insulam relegavit, ubi *Apocalypsin* conscripsit. Tandem cum odia in se concitaret

taret uniuersorum, uxor, intimique in eum conspirauerunt. *Stephanus* procurator unâ manu tradens legendam Epistolam, alterâ eum confodit *f*), cui aliquandiu faucius repugnauit, donec aliis libertis occurrentibus septem vulneribus trucidatus cecidit, anno Imperii 15. *g*).

XIII. NERVA, *a*) singularis probitatis exemplar, Princeps nomine, mente parens, successit *A. C. 96. b*) qui nunquam risit aut iusit. Domitiani Edicta & Statuas aboluit. Christianos à Domit: proscriptos revocauit, inter quos *Johannes Evangelist.* in Ephesum rediit. Pueros puellasque egenis parentibus natas per Italiam sumptu publico alijussit. Principes viros consiliis suis semper adhibuit. Dignos potissimum ad honores euexit. Ob ingruuentem ætatem primus ab imperio se abdicauit *c*) & *Trajanum* Hispanum peregrinum (etsi multos haberet propinquos) propter singulares ejus virtutes, in filium adoptauit & Cæsarem designauit. Regnavit unum annum, 4. menses. *d*).

XIV. TRAJANUS, *a*) primus ex peregrinis, natione Hispanus, factus Imperator *Coloniae A. C. 98. b*) Cùm ante per somnum

vidisset, se à viro gravi ætate coroná & purpurá indui. Romam ingressus, apud populum mitis & placabilis c), apud Senatum venerandus, omnibus deniq; amabilis est habitus, nulli gravis, nisi hostibus; Talem se dicebat, Imperatorem esse privatis, quales esse sibi Imperatores privatus optasset. Unde hæc deinceps acclamatio Principum servata: Sis felicior Augusto, sis melior Trajano, d). In pauperum alimenta multa largitus est, studiosos & bonos viros honoribus & dignitatibus auxit. Bibliothecas ornavit. Optimum habuit Præceptorem *Plutarchum e)*, & disertissimum virtutum suarum præconem *Plinium f)*, Militaris disciplinæ custos *g)*, Præfecto Prætorii tradens gladium, dixit: Cape hunc ensen, & si benè atq; cum ratione imperavero, pro me, sin minus, contra me utitor. Ærarium lieni comparavit, dicens: Fiscus lien est, quo crescente reliqui artus tabescunt h). Eo regnante Ecclesia tertiâ persecutione pressa est *i)*, in qua Ignatius Episcopus Antiochenus bestiis objectus fuit *k)*. Foris rebus gerendis felicissimus *l)*, ut Romanum Imperium nunquam latius, quàm sub eo patuerit, ipsis Parthis debellatis, hinc

A 7 dixisse

dixisse fertur; *Ultinam juvenis essem, viresq;
ac robur suppetere, in fines Indorum pene-
trare*. Regnavit 19. annos, 6. menses *m*).

XV. HADRIANUS *a*) successit A. C. 117. *b*) Princeps inexhausti laboris, eruditissimus Græcus, Mathematicus insignis, Astrologus & Geometra cultissimus, Musicus, Poëta, Medicus, Pictor & fictor ex ære vel marmore excellentissimus *c*), in quo tanta fuit vis memoriæ, ut cum admiratione omnes milites etiam absentes, recensere potuerit *d*). Uno tempore scripsit, dictavit, audivit, & cum amicis confabulatus est. Armorum & rei militaris peritissimus. Opera publica elegantissima fecit. *Hierosolymam* reedificatâ à suo nomine *Eliam* vocavit *e*). Primus Cæsarum *barbam* nutrire coepit propter vulnera faciei *f*). *Quartus* fuit persecutor *g*). Inter corporis exercitia *venationem* maximè amplexus *h*). Adeò cupidus peregrinationis, ut omnia, quæ de locis orbis legerat, præsens vellet addiscere *i*). *Jocis & Salibus* emicuit *k*). *Florus* ei dixit:

Ego nolo Cæsar esse,

Ambulare per Britannos;

Scythicas pati pruinas. *Volitare per sicambros*

Cui

Cui Hadrianus facetè respondit :

Ego nolo Florus esse,

Ambulare per tabernas,

Culices pati rotundos.

Lutitare per ru-
inas

Aqua lustralis ab Alexandro Episcopo Ro-
mano inventa est l). Gellius fuit ipsius Coæ-
taneus m).

Regnavit 20. annos 11. menses n). Moribun-
dus hos pronuntiavit versiculos :

Animula, vagula, blandula,

Hospes comesq; corporis,

Quæ nunc abibis in loca?

Pallidula, rigida, nudula,

Nec, ut soles, dabis jocos.

XVI. ANTONINUS PIUS a) successit
A. C. 138. b) Pius & Pater Patriæ meritò di-
ctus à perpetua Clementia & beneficentia,
in gubernatione propter pacis studium *Nu-*
mæ Pompilio similis, orbem propè univer-
sum, non armis, sed sola virtute, auctoritate
& famæ bonitate devicit, illudque *Scipio-*
nis semper in ore habuit : *Malle se unum*
civem servare, quàm mille hostes perdere.
Seditiones non crudelitate, sed modestiâ
compressit. In victu ejus opulentia sine re-
prehensione, parsimonia sine sordibus eni-
tuit,

tuit, omniaque cum mensura ac sine jactantia fecit. Otiosis salaria subtraxit, dicens: *Nibil sordidius imò crudelius esse quàm si Remp. is arroderet, qui nihil in eam labore suo conferret.* Ejus tempore tria accidere prodigia narrante Capitolino: 1. Serpens ingentis magnitudinis se dimidium devoravit c). 2. Quatuor Leones se ipsos capiendos tradidere d). 3. Hordeum ex culminibus arborum enatum est e). Ei à quibusdam *quinta Persecutio* ascribitur f), à quibusdam verò clemens & benignus in Christianos dicitur. Regnavit 22. annos. 8. menses g). Galenus sub eo vixit h).

XVII. MARCUS AURELIUS ANTONINUS PHILOSOPHUS a) successit A. C. 161. b) ejus Collega fuit *Lucius Antoninus Verus* c), vir ebriosus. Aurelius populo adeò gratus, ut à plurimis totius orbis defensor appellatus sit. In eo nihil fictum, nec falsum. Nihil egit sine consilio Senatus, reprehensus ideo à quopiam: *Quanto, in-quiens, equius est, me tot & talium amicorū sequi consilia: quam tot & tales amicos omnes meam uniùs sequi voluntatem.* *Sexta tamen Persecutionis auctor d), in qua Poly-*
CAR-

carpus Smyrnæ Evang. Johannis discipulo, *Justinus Martyr* absumpti sunt. Bellum gessit contra *Marcomannos*, in quo Legio Christianorum, nomen ab Insula Melite, ubi Paulus primùm Evangelium prædicavit, habēs, qui exercitui Romano siti afflictato pluviā, & contra hostem fulmen precibus impetrārunt *e*) hinc æquior Christianis factus, omnes impunè dimisit. Regnavit 19. an. *f*).

XIIX. COMMODUS *a*) ille incommodus successit A. C. 180. *b*) Patris laudatissimi M. Aurelii pessimus filius, inter 300. concubinas bacchantis in morem vixit *c*). *Lu- cillam* sororem interfecit *d*), cæteras constupravit. Quotidiè balneo usus, in quo strangulatus animam efflavite *e*). Regnavit 12. annos, 9. menses *f*).

XIX. PERTINAX *a*) ita dictus, quòd antiquis moribus invitus Imperium accepit, successit A. C. 192. *b*). Primum Professor Grammaticus, dehinc per singulos militiæ gradus ascendens ad fastigium pervenit. Hinc *Pila fortune* dictus *c*). Ab eo interfectus, à quo ad Imperium fuit evectus *d*), regn. 3. mens. *e*).

XX. DIDIUS JULIANUS *a*) successit
A. C.

A.C. 139. b) Literarum, præsertim juris, peritissimus. Auditâ morte Pertinacis, palam & imprudenter Imperium mercatus est. Pecunia omnia obedire dixit, & in precio premium esse affirmavit, quòd qui in numerato non habet, in precio non est c). Suscepto Imperio, crapulæ & luxuriæ se mancipavit d). Sub eo claro die 3. stellæ circa solem apparuisse, scribit Spartianus e). Julianus autem, jussu Senatus, à milite confossus, ut Principatus malè partus, malè etiam sit dilapsus. Regnavit dies 66. f).

XXI. SEPTIMIUS SEVERUS a) successit *A. C. 193. b) Astrologiæ fuit studiosus & peritus c). Pescennium Nigrum & Albinum, imperium sibi asserentes præliis aliquot è medio sustulit, Imperator bellicosissimus & felicissimus, ut nullo congressu non decesserit victor d), sed podagricus e), Sextam instituit Persecutionem f). Quæ tam atrox fuit, ut nonnulli eum ipsum Anti-Christum dixerint, hujus occasione Tertullianus scripsit Apologeticum. Regn. 17. an. 8. mens. g). Moriturus dixit: *Omnia fui, & nihil mihi expedit.**

XXII. CARACALLA a) F. Sept. successit

sit A.C. 211. b) Pueritia ejus blanda, ingeniosa, Parentibus affabilis, amicis parentum jucunda, populo accepta, grata Senatui, ipsi etiam ad amorem conciliandum salutaris fuit. Non in literis tardus, non in benevolentia segnis, non tenax in largitate, non lentus in clementia fuit. At eam egressus, mores mutavit, sævior & truculentior factus, superbus & arrogans. Fratrem *Getam* de matris collo dependentem & clamantem: *Mater, opem mihi fer, interficior, interfecit* c), ut mater à sanguine filii resperfa, vulnus in manu acceperit, quod fratricidium, *Papinianus* & *Ctus* d), quia noluit excusare, dicens: Non tam facile esse excusare homicidium, quàm patrare, nec ob Principis gratiam offendendam esse justitiae Majestatem, occisus est. *Novercam Juliam* duxit uxorem e), foeminam pulcherrimam, cùm per negligentiam quasi, maxima corporis parte nudata supervenienti *Caracallæ* dicenti: *Vellem quidem, si liceret, respondisset, si libet, licet; An nescis Te Imperatorem esse, leges dare nõ accipere.* Quatuor *Virgines Vestales* innocentes occidi jussit f), *Aristotelis* libros comburere fuit conatus, incusans eum
 initi

initi consilii de necando Alexandro M. per venenum. Tempore quodam *octo* Calvos, *octo* Surdos, *octo* Luscos, *octo* Nasutos, *octo* Podagrosos & alios mancos, simul ad convivium joci causâ convocavit *g*), [quod convivium tamen *Æl. Lamprid. in vit. Heliogab.* Heliogabalo attribuit.] Sub eo versio Græca Bibliorum in dolio inventa *b*). In cloaca sedens confossus *i*), qui verè cloaca Diaboli, periit. Regnavit 6. annos, 6. menses *k*).

XXIII. MACRINUS *a*) successit A. C. 217. *b*) magis Jurisconsultus, quàm Dux. Libertinus fuit, & sub Commodò impudentissimè vixit, adeò ut prostibulum diceretur, gladiator, venator atq; tabellio. Nihil memorabile gessit, milites novis suppliciis affecit, unde pro *Macrino Macellinus* ob feritatem dictus à militibus; duos hospitis stupratores vivos duobus inclusit bobus, sic, ut exertis capitibus, donec extingverentur, colloqui possent *c*). Regn. 1. an. 8. mens. *d*).

XXIV. HELIOGABALUS *a*) successit A. C. 218. *b*) Turpitudine omnes superavit, qui unquam propter libidinem infames fuerunt. Ingentes canes, quos jecinoribus auferum

serum pavit, quaternos currui iūxit c), amās
 florum ac pretiosorum odorum d), in lucer-
 nis balsamum, in tricliniis crocum exhibuit.
 Varia convivium instruxit prodigioso luxu,
ministrantibus ante mensam nudis puellis. Ri-
 diculas quoq; & monstrosas cœnas parasi-
tis apparavit, præbens cereos, ligneos, fi-
 ctiles & marmoreos cibos, vasa ranis & ser-
 pentibus repleta. Tandem monstrum hoc
 humani generis in formā mulieris seipsum
 transformari voluit e), à militibus in latri-
na, ad quam confugerat, unā cum matre in-
 terfectus est. Regnavit 3. annos, 9. mens. f.)

XXV. ALEXANDER SEVERUS a)
 successit A. C. 222. b) Doctorum fautor,
 ipse eleganter eruditus, in primis Græcè c),
 tam liberalis quoq; fuit, ut molestius ei fue-
 rit nihil peti, quàm dare; *quid est, cur nihil*
petis? an me vis tibi fieri debitorem: pete,
ne privatus de me queraris. Stipendia consti-
 tuit & docentibus pro labore d), & discenti-
 bus pauperum filiis. J Ctos amavit, præcipuè
Ulpianum e) & Paulum, quorum arbitrio
 pleraque fecit. Nihil horum consuetudine ju-
cundius, dixit, his recreari se magis, quàm ci-
bis delicatissimis. Militaris quidem discipli-

næ

nae exactor rigidus f) unde Severus dictus, sed stipendia militibus liberaliter solvit, dicens: *militem non posse regi, qui nihil haberet in zonula g)*. Non terebat eos, qui magistratus emebant, dicens: *Necesse est, ut qui emat, vendat*. Fumi venditores, qui responsa sub nomine Imperatoris fingeant & vendebant, ad stipitem religari & fumo necari iussit, dicens; *Fumo pereant, qui fumos vendunt b)*. In fures tam immane ejus fuit odium, ut per praconem edixerit, *ne quis salutaret Principem, qui se furem esse nosset i)*. Illam sententiam frequentem in ore habuit: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*. Regnavit 13. ann. k).

XXVI. MAXIMINUS TRAX a) successit A.C. 235. b) è Pastore miles, ex milite Dux, & deinde ab Exercitu, absque Senatus autoritate, Imperator factus c). Tam robustus fuit, ut currum onustum movere & manibus trahere potuerit d). Tam vorax, ut uno die 40. & saepe 60. libras carnis ederet, & amphoram Capitolinam vini biberet e), unde dictus est *Milo Crotoniates. Hercules, Ajax & Antaeus*. Autor septimae Persecutionis & solos Episcopos supplicio affecit tanquam

do-

doctrinæ Christianæ propugnatores *f*). Ob maximam crudelitatem *Cyclops Busyris; Chiron, Phalaris, Typhon & Gyges* appellatus fuit. Exinde exosus militibus, unâ cum filio, raræ pulchritudinis, occisus, conclamantibus cunctis: Ex pessimo genere necatulum quidem relinquendū esse *g*). Regnavit 2. ann. 6. mens. *b*).

XXVII. Contra MAXIMINIUM BELUAM *a*) istâ electus fuit à militib9 GORDIANUS SENIOR *b*) justissimus, qui, trucidato filio collega suo, laqueo vitâ finivit. Hinc à Senatu duo Imperatores creati PULPIENUS *c*) & BALBINUS *d*), qui à militibus statim interfecti.

Succedit deinde GORDIANUS JUNIOR *e*) A. C. 238. *f*) quem non diu imperaturum, indicavit eclipsis solis, quæ tanta fuit, ut in ipso die nihil sine accensis luminibus agi potuerit *g*). Impiè interfectus à *Philippis* Patre & Filio. Regn 6. ann. *b*).

XXVIII. PHILIPPUS ARABS *a*) success. A. C. 244. *b*) à latrone natus, ut latro Imperium accepit: bellicæ rei peritus, punicâ fide deterior, superbus & insolens. Primus ex Imperatoribus Romanis Christo fidem de-

dedisse, à quibusdam dicitur *c*). Poëtas propter abusum ex albo Professorum bonarum artium sustulit & privilegiis exclusit *d*). Regnavit 6. ann. *e*) secundum *Calvisium* & alios 7.

XXIX. DECIUS *a*) *A. C.* 250. *b*) ex *Pannonia* ortus, militum favore pervenit ad Imperium, crevit in scientia rei militaris *c*). In omnibus laudandus, si à Christianorum suppliciis abstinuisset, in quos plurimum desæviit & atrocissimam *Persecutionem Octavam* movit *d*). Contra *Barbaros* trans *Danubium* profectus, fraude hostium in angustias deductus cum exercitu, ipse, ne vivus in hostium manus incideret, in voraginem paludis insiliit *e*). Regnavit 1. ann. 3. menses *f*).

XXX. GALLUS HOSTILIUS *a*) successit *A. C.* 251. *b*) Filium *Volusianum* *c*) in confortē recepit. *Æmilianus* natione *Maurus* *d*) Anti-Cæsarem se gesit in *Mœsia* *e*) regnavit 1. ann. *f*) *Gallus* verò 2. ann. *g*) Sub quo *Origenes* *b*), imbecillitatis humanæ exemplar, ob assiduū scriptionis studiū, *adaman-tinus* dictus, martyrii palmam adeptus est.

XXXI. VALERIANUS *a*) Septuagenarius

Filio Gallieno b) succedit A. C. 253. c). No-
na Persecutionis autor d). Laurentium Mar-
tyrem in craticula torrerijussit e). Ob hunc
furorem in Christianos à Deo graviter pu-
nitus, à Sapore Persarum Rege septimo Im-
perij anno praelio victus & captus, cique e-
quum conscendenti nonnullos annos pro
scabello servivit, donec tandem, detractâ
pelle crudelissime excarnificatus f). Gallie-
nus de ista captivitate gavisus, ut solus re-
rum potiretur, & Præceptore liberaretur,
se voluptatibus & deliciis dedit, in omnē
lasciviam dissolutus, subinde quæsit: Ec-
quid habemus in prandio? qualis erit cœna?
quæ voluptates paratæ? quales ludi? Cir-
tenses? Gladiatorii? Scenici? Hinc ille ne-
quissimus omnium mortalium ab omni-
bus fuit contemptus, adeò quidem, ut in
diversis Provinciis diversi Imperatores Ty-
ranni contra ipsum fuerint facti. Hi Rem-
publicam tot tantisque civilibus bellis, hinc
inde ortis, afflictam, miserrimè & magis
affixerunt quam hostes, ut deinceps vix
spes fuerit aliqua Imperiū resarciendi: In-
terfectus, cum solus regnasset 8. annos g).

XXXII, FLAVIUS CLAUDIUS a) ac-

B

cepit

cepit insignia Imperialia A. C. 268. b] *Vir
morum gravitate vitæq; integritate insignis,
& prorsus talis qualem fessum fractūq; tot
malis Imperiū desiderabat, in quo Trajanæ
virtus c], Antonini pietas d], Augusti mode-
ratio e] sic lucidissime emicuere, ut non ab
aliis exemplū caperet, sed aliis relinqueret.
Hinc acclamavit Senatus Claudi Auguste, tu
Frater, tu Pater, tu Amicus, tu bonus Sena-
tor, tu verè Princeps. Regn. i. ann. 10. men-
ses f]. Qui si diutius in Imperio vixisset,
Scipiones & Camillos, omnesque illos vete-
res suis reddidisset Virtutibus.*

XXXIII. QVINTILLUS a] successit
A. C. 270. b] Claudi Frater, Imperiū quasi
hereditarium sumsit, cum audivisset Aure-
lianum, ab exercitu creatū Imperatorem,
seque imparem esse conatibus, vidisset, mili-
tesque omnes favere eidem, statim decimā
septimā post die c] venas sibi solvi curavit,
& honestam mortem honestam turpitudi-
nem duxit. Nonnulli affirmant, à militi-
bus, factā conspiratione, interemptam,
quibus se duriorē exhibuerat.

XXXIV. AURELIANUS a] successit
A. C. 270. b]. Princeps magis necessarius,
quàm

quàm bonus dignus certè qui Claudii prærogativa Remp. tum adficiam, susciperet. In adolescentia exercitiis militaribus delectatus, exinde virtute militari in ætate pro-vectiori excelluit e]; disciplinæ ejus exactor rigidus & severus fuit, nam militem, hospitam vi comprimentem, inflexis violenter duabus arboribus alligavit, quæ vicissim erectæ, medium discerpserunt d]. Symbolo usus est; Quo major, eò placabilior, e]. Clementiam etiam suam, præcipuam Imperatorum dotem, hisce exemplis ostendit. Cum urbem Thyanam Heraclamonis proditione caperet, proditori pro præmio mortem intulit, dicens: Proditorem amare non potui, nec enim mihi fidem servasset, qui Patriæ non servavit. Civibus Pepercit, canes verò omnes interfecit, quia iratus dixerat: Canem in hoc oppido non relinquam f]. Sic eodem pacto & patriæ proditori suam rependit mercedem, & militum elusit avaritiam. De Tetrico in Galliis Imperatore creato, & Zenobia Orientis Regina bellicosissima Romanis speciosissimum exhibuit triumphum. Triumphans curru triumphali à quatuor cervis tractus g]. Primus Diadema capiti in-

nexuit, geminisque inauratâ veste usus *b*). Tandem in stinctu Scribæ sui Mnesthei, cui mortem minatus erat, trucidatus periit, cognitâ fraude, Mnestheus bestiis objectus *i*). Regn. ferè 6. ann. *k*).

Sex Menses certatum est inter Senatum & Exercitum de eligendo Imperatore, tandem unanimi omnium consensu designatus.

XXXV. MARCUS CLAUDIUS TACITUS *a*) A. C. 275. *b*). Princeps literis ad cò deditus, ut nullam diem, in qua non aliquid scriberet, aut legeret, intermittere voluerit *c*), unde & illud elogium meruit; *Quis melius imperat, quàm literatus.* Cùm fenestram suam excusaret, regefferunt ipsi, *Caput imperare, non pedes d*). Vitæ fuit parcissimæ, & lactuca frequenter est usus, quâ sumtâ, se somnum mercari dicebat *e*). Tunnicis ac togis iisdem in imperio usus, quibus privatus *f*). *Cornelium Tacitum*, Augustæ historiæ Scriptorem, parentis loco habuit, ejusque libros decies quotannis describi, & in publicis archivis collocari iussit, ne perirent *g*). Regnavit 6. mens. 28. dies *h*).

XXXVI. FLORIANUS *a*) successit A.

C. 276.

C. 276. *b)* Taciti frater, nullo Senatus nec militum arbitrio, sed hæreditario quasi jure sibi debitum invasit Imperium. Cùm audivisset *Probum* à militibus electum, venam solvit *c)*, & ita deliquio animi vitam finivit, aliis occisus dicitur. Regnavit 66. dies *d)*.

XXXVII. PROBUS *a)* verè Probus A. C. 276. *b)* Militaribus suffragiis invitatus ad principatū elatus, subinde clamitans; *Nec mihi, nec vobis expedit, milites, Ego enim vobis blandiri non queo c)*. Fuit exemplar Imperii & militiæ *d)*. Regni affectatores *Proculum* & *Bonosum* hominem bibacisimum, qui tamen in vino adhuc prudentior erat) prælio vicit. *Bonosus* laqueo vitam finiens, à militibus per contemptum dictus ob bibacitatem amphora pendens e). Tandem cùm otiosorum ille inimicus Probus *f)* diceret: *Brevi milites non necessarios fore, & militem annonam gratuitam non debere comedere*, in odium venit, ac à suis occisus est *g)*. Regnavit ferè ann. 7. *b)*. Sub eo prima mentio *Alemannorum* in historiis *i)*.

XXXVIII. CARUS, *a)* re & nomine carus successit A. C. 283. *b)* De quo Probus honorificum testimonium ad Senatum scripsit,

psit, his verbis: *Felix esset nostra Respubli-*
ca, si pluriſ Cari ſimiles haberet. Ideò Sena-
 tus libèter militarem ſuffragationem com-
 probavit. *Carinum. c]* & *Numerianum. d]* fi-
 lios collegas ſibi aſſumſit, quorum hic pro-
 bus, ille adeò protervus, ut pater ſæpius ex-
 clamaret: *Non eſt meus.* De *Caro* elegantem
 ſimul & amœnam hiftoriam recenset Juſtus
 Lipſius in notis ad lib. 2. Polit. cap. 15. pag.
 ,, m. 562. ex Syneciò hiſce verbis: Bellum
 ,, inferebar Perſis, & jam ad Armeniorum li-
 ,, mites pervenerat. Illic militẽ curare cor-
 ,, pus & cibum è ſuo comœatu capere juſ-
 ,, ſit, mox eſt hoſtico [Partorũ agros oſten-
 ,, debat] petendum. Dum id agunt, ecce
 ,, hoſtium Legatos, qui adueniunt. Atque
 ,, illi opinabantur, futurũ primò, ut ad Pro-
 ,, ceres quosdam aulicos deducerentur: de-
 ,, inde dierum aliquot intervallo, ad Impe-
 ,, ratorem. Atqui incidèrant caſu in ipſum
 ,, jam cœnantem. Circumſtabat frequens
 ,, miles, ſed auro aut argento nihil cultus.
 ,, Ipſe tunicã punicea indutus, jacebat in
 ,, herba. Cibus erat, vetus aliquod nigrum
 ,, pulmentarium: & in eo fruſtula quædam
 ,, falſæ ſuillæ carnis. Cũ autem Legatos
 vidiffet;

vidisset, nihil turbatum ajunt nec quicquam immutasse, sed vocasse ad se ultro, & dixisse, scire, quòd ad se venissent nam Carum hunc ipsum esse. Jubere igitur ut renuncient juveni suo Regi, Nisi resipiscat, futurum ut intra unam Lunam oranis eorum silva & omnis ager, magis nuda & lævia sint, quàm Cari ipsum caput, & simul cum dicto pileum sustulit, & caput ostendit tam glabrum, quàm galea ejus, quæ adjacebat. Et si quidem appeterent, jusfit manum in ollam mittere: sin minus, statim abire, & extra Romana præsidia esse, tanquam Legatione omnium jam defunctos. *Ita me Deus amet, hæc virum olent, imò heroëmæ*]. Ictu fulminis interiit *f*]. Reg. i. ann. *g*]. Numerius, Patris in bello Persico comes, cujus interitum in tantum luxit, ut fletu oculos corruerit. cumque ei aer multum obesset, lecticâ oclusâ ferebatur *h*]. clam occisus factione Arrii Apri, soceri sui imperium affectantis, nec prius quàm cadaveris fœtore, scelus detectum fuit *i*]. Post Patris & fratris interitum, Carinus liberius insanivit, uxores ducendo & rejiciendo, novem habuit: præ-

gnantes expulit. Mimis, meretricibus, leno-
nibus, & id genus hominum monstris pala-
 tium implevit, eisq; plurimum detulit *k*).
 Tandem homo ille omnium contamina-
tissimus victus, & à Tribuno suo, cujus u-
 xori stuprum intulerat, jugulatus est.

XXXIX. DIOCLETIANUS *a*), sublato
Aprò *b*), Imperii æmulo, Imperium acce-
 pit A. C. 284. *c*) Imperii confortem legit
Maximinianum, *d*). Diocletianus primus
 se ut Deum adorari jusfit, & ad osculū cal-
 ceamentorum, geminis auroq; radiantium,
 omnes promiscuè adegit *e*). *Decimam*
 omnium maximam, *Persecutionem* *f*) ad-
 versus Christianos instituit. Tandem, depo-
 sitâ coronâ *g*), vitam privatâ Imperio præ-
 tulit, admonitus, ut ad illud rediret, respō-
 dit: *Nihil difficilius esse, quàm bene impera-*
re, se peste liberatum, nolle vicissim venena
bibere. Nec turpe esse homini, qui felicitatem
in animo posuit, honestam profiteri pauper-
tatem. Regnavit 20. ann. *b*).

XL. CONSTANTINUS CHLORUS
a) successit A. C. 304. *b*), Princeps beni-
 gnus ac facilis, atq; ad promerendam sub-
 ditorum sibi populorum gratiam, mire
 pro-

propensus divitiarum spretor, & paucis contentus. A Christiana religione non abhorruit *c)*. Ad probandam ministrorum suorum fidem, iussit aliquando, ut qui Idolis sacrificare nollent, aulâ suâ exirent. Cum autem plurimi sacrificare, quàm officio destitui mallēt, Apostatas ejecit, & Imperatoris officio indignos cēsuit; dicens: *Quomodo Imperatori, ut homini, fidem inviolatâ servabitis, qui perfidi in Deum extitistis?* Qui verò constantiam suâ probaverant, amplioribus honoribus ornavit, Regniq; custodes constituit *d)*. Cum *Galerio e)* provinciarum administrandarum curam partitus est. Homo rerum militatis quidem gloria illustris, verum sævitia in Christianos crudelis *f)*. Duos alios collegas adscivit, *Severum g)* & *Maxentium h)*. Cum in morbum crudelem incidisset, consumptis genitalibus defecit, & vermibus ubiqve erumpentibus, fœdissimo, eoque digno exitu, periit *i)*. Regn. 2. ann. *k)*.

Hiscæ temporibus valdè perturbatæ sunt historiæ, ob concursum tot Imperatorum, & Cæsarium & Tyrannorum seditiosorum regimen affectantium.

B 5

Huc

*Huc usque Ethnici Imperatores, sequuntur
Christiani, & quidem Græci,*

XLI. CONSTANTINUS MAGNUS.
a] successit A. C. 306. b] Natus ex *Constantino Chloro* & ex eius concubina *Helena* in Britannia, unde *Spurius* dicitur. Aggredientem *Leonem* jussu *Galerii*, qui eum, non secus ac *Saul Davidem*, per insidias perdere quærebat, pertinacissimè vicit c], cupidus gloriæ. Præliis post cum *Maxentio*, Pharaone illo N. T. aliquot initis, eum tantas ad angustias adegit, ut victus unà cum equo in *Tiberim* insilierit, submersusque amplius apparuerit nulli, exinde à *Senatu* vindex Imperii liberator urbis, & fundator quietis æternæ dictus. In conflictu fulgidam vidit crucem d] cùm inscriptione: IN HOC VINCES. Victoriæ ei promissæ scribitur. *Licinium*, acerrimū Christianorum osorem e], tanquam fœdifragum oppresit. Extinctis quinque Tyrannis, solus rerum potitus in universa *Monarchia* *Constantinus*, verè *Magnus* ob res præclare gestas f]; *Major* ob Christianismum susceptum g]; *Maximus* ob ejusdem interris propagationem & defensionem, *Ecclesiam* h] quidem amplissi-

plissi-

plissimis dotavit privilegiis, sed de Imperio
Occidentis aut Italiae ei collato, quod so-
mniant, inanis fabula est, ne quidem Plati-
nae ipsi (qui tamen archiva Pontificum ac-
curatissime perlustravit & beneficia Con-
stantini in Pontifices recenset singulatim)
usquam agnita aut memorata *Donatio Pa-
trimonii* (quod vocant) D. Petri. Anno C.
325. i] indixit *Synodum primam Oecu-
menicam Nicenam k]*, in qua Arriana hæ-
resis l], Christi Divinitatem negans, da-
mnata, & *Arrius*, cui se opposuit *Athana-
sius*, torminibus excruciatum, durante Con-
cilio in auctoritatem & respectum Cleri-
corum memorabilia Imp. elocutus, inter
quæ etiam hoc: *Se sacerdotem vel in adul-
terio deprehensum purpurâ suâ tecturum, ne
vulgo scandalum innotesceret m]*. Item:
*Dissensiones in Ecclesia de hoc vel illo do-
gmate ortas longe graviores & horribiliores
esse, quævis bello civili. Criminosos Episco-
porum disidentiū libros pacis & concordie
studiosus in ignem conjecit n]*. Cum *Ace-
sius* Novatianorum assecla, lapsos non esse
recipiendos, pertinaciter contenderet, Cō-
stantinus dixit: *Erigito tibi scalam, Acesi,*

Et ad cælum solus ascendit o) Publicis edi-
 ctis gladiatores p) & alia cruenta spectacu-
 la, abolevit. Proprium suum filium *Crispum*
Cesarem, ad deteriora credenda pronū, sup-
 plicio affecit, circumventus ab *Augusta*
Fausta, *Crispino* vera, quam ipsam, ejus
 fraude perspecta, calore balnei suffocavit
 q). *Drepanum* r) *Bithyniæ* urbē instauravit,
 & in memoriā matris *Helenopolin* s) ap-
 pellavit. *Byzantium* urbem amplissimè re-
 staurari iussit, in eam sedem imperii trans-
 tulit, novamq; *Romam* appellavit, quæ nunc
Constantinopolis dicitur. Moribundus in te-
 stamento tres suos filios Augustos pronun-
 ciavit, Imperiumq; in *Oriente* & *Occiden-*
tale divisit. Regnavit 30. ann. 10. mens. t).

XLII. TRES FILII CONSTANTINI
 MAGNI EX FAUSTA NATI successere-
 runt A. C. 337. a). CONSTANTINUS in
 Oriēte b) CONSTANS c) & CONSTAN-
 TINUS d) nati major in Occidente. *Con-*
stantinus *Arrianus* e), non contentus sua for-
 te Imperii; atrocissimum bellum *Constan-*
ti intulit f) in quo per insidias à fratribus *Du-*
cibus prostratus g), triennio Imperii h)
 nondum absoluto aut expleto. *Constante*
 post

post insidiis ingrati Magnentii *i*] [qui Imperator à Centurionibus declaratus] in tentorio dormiente, interfecto, *Constantius* solus rerum potitus, *Magnentium* victum ad mortem adegit, *Gallum* patruelem Cæsarem fecit, qui cum rationem gubernationis dare non posset, capite truncatus *k*]. *Constantius* extinctis bellis civilibus, in tantam venit arrogantiam, ut *Orbis se totius Dominum & æternum* appellaret, cum per portas nimis altas & arcus triumphales curru aureo transgredereetur, cervicem tamen anseris more, inclinavit *l*], urbs risit. *Arrianæ* hæresi addictus, *Athanasium* cum suis parastatis ejecit, & concilium *Sirmii* pro *Arrianis* congregavit, regnavit 24. ann. 5. menses *m*] alter sc. *Constans* 13. ann. *n*].

XLIII. *JULIANUS* *a*] propter defecti-
onem à Christianis *imo Apostata* *b*] dictus
succes. An. Chr. 361. *c*] animi alioqui do-
tibus ad admirationem excellens, Christianis
persecutionem movit, eorumque scho-
las occlusit, & *Judæis* licentiam, atque sum-
ptus dedit ad re-ædificandum *Templum*
Hierosolymorum, sed cum opus ingenti tri-
umpho fortiter aggredereentur, fundamen-

ta quoque essent jacta, ignis e terra erumpens tam operarios, quam instrumenta eorum consumpsit, vestimentis Judæorum crucibus signatis *d*]. Christiani, quos sub se habuit, milites, Rempublicam armis defendere non detrectabant, in Christianos verò arma producere, refragabantur homini auscultantes Deo. In bello Persico interfectus (sunt, quibus sagitta de cœlo transfusus) ubi cava manu sanguinem ex vulnere hausit, eoque in coelum coniecto *e*], vociferatus est : *Vicisti tandem Galilea*, [uti Christum per ludibrium vocavit]. Hæc impia voce impiè expiravit, & Christianos omnes ingenti liberavit metu. Regnavit *i*. ann. 8. mens. *f*].

XLIV. JOVIANUS *a*] successit A. C. 363. *b*] Cum *Sapore* Persarum Rege pacem iniqua conditione & magis necessariam, quàm honestã inire coactus, traditis quinque provinciis *Transigrætanis & Nisibi c*]. Rediit, famam subditorum dictæis & commatis arrosum, audivit, dicentium: *Venisti e bello utinam ibi periisses!* Item: *Quanta terre longitudo, quanta maris profunditas, tanta est stultitia Joviani d*]. Regnavit 8. mens. *e*].

XLV.

XLV. VALENTINIANUS *a*] successit
 A.C. 364. *b*] Sub *Juliano* fuit tribunus mi-
 litum, sed ob Christianismum dignitate
 privatus aspersus enim aquâ lustrali in tem-
 plo idololatrigo, alapam inpegerat Sacri-
 ficulo Ethnico *c*] Domi & foris fuit castus,
 ad inferenda propulsandaq; bella solertissi-
 mus, in deferendis publicis muneribus cau-
 tus, sermone cultus, munditiarum amans,
 scribens decore, venusteq; & fingens. Bellis
 undique insurgentibus *Valentem d*] fra-
 trem consortem Imperii fecit, eique Ori-
 entem regentem tradidit. *Valens* fratri dis-
 simillimus. Arrianam impietatem ample-
 xus orthodoxos Episcopos in exilium mi-
 sit, & multa crudeliter egit *e*] *Procopium*
 cognatû, regnum temere affectantem, in-
 flexis violenter arboribus, medium discerpi
 iussit *f*]. *Valentinianus* regn. 12. ann. *g*].
Valens 14. ann. 4. mens. *h*] hic igne perii *i*)
Basilus Episcopus Cæsariensis hoc tempo-
 re floruit, de quo historiae ex Psalm. 28. vers.
 7. *k*). notanda est.

XLVI GRATIANUS *a*) *Valentiniani*
 I. Fil. & *Valentinianus* II. *b*) fratres succe-
 runt *c*) A.C. 375. *d*) *Gratian*. Princeps ab ipsa
 ado-

adolescentia divino cultui, pietatiq; Christianæ deditus e], modestiæ pudicitiaque laude cum primis clarus, in literis haud mediocriter versatus f], Poeta non vulgaris O-ratoribus illius ætatis annumeratus, sæpius dixit: De Deo loquimur non quantum volumus & debemus, sed quantum possumus. Arte jaculatoriâ ad insaniam usque delectatus g]. *Valentinianus* Arrianus ab *Arbogasto* Franco vexatus, & per eundem strangulatus h]. Ille regnavit 8. ann. i]. Hic 17. ann. k]. Claruit hoc tempore *Martinus* Episcopus, cujus historia de Anseribus nota est l].

XLVII. THEODOSIUS I. COGN. MAGNUS a] successit A. C. 379. b] Imperator pientissimus c] victoriosissimus d], atq; literis, justitiâ & fortitudine excellentissimus e], postremus Rom. Imperium in Occidente & Oriente integrum tenuit. Cōgregavit *Synodum Constantinopolitanam* f] que *Occumenica secunda* nominatur, in qua damnata fuit hæresis *Macedoniana*. Spiritus S. Deitatem negans. Impotens iræ necem Præfecti militum *Boterichæ* graviter ultus est, *Thessalonicensium* 7000. sine discrim-

ne

ne crudeliter necatis, ob quod ab *Ambrosio* Episcopo Mediolanensi per octo mensium spatium fuit excommunicatus, & templo prohibitus, sed pœnitentiam agens, precibus populi receptus est, postea irâ vehemētiore exardescens Græci alphabeti 24. literas recitavit g], eamque interjecto temporis emolliit. *Eugenium* & *Arbogastum* aggressurus, in vexillis pinxit CHRISTI nomen, & ventis pro se pugnantibus hostes ad interneccionem usque delevit h]. De quo noti sunt versus Claudiani :

Q nimum dilecte DEO, cui militat æther,
Et conjurati veniunt in classica venti.

Uxor ejus *Placilla* i] lectissima, (cujus merita in egenos ingentia extiterunt) k] de colenda ubique modestia eum subinde monuit, inquit : Cogitandum tibi, marite, quis olim fueris, & qui nunc sis. Nam in bonum crebra recordatione erga benefactorem non ingratus es futurus, acceptum Imperium legibus administrabis, & simul coles eum, qui contulit. Regnavit 16. ann. l].

XLVIII. Ejus FILII successerunt A. C. 395. a] *ARCADIUS* ex testamento Patris in Oriente b], *HONORIUS* in Occidente
te

te c). Quos Parens in juventutis flore Præceptore Arsenio commendaverat, eosque non ut Cæsaris filios, sed ut discipulos, & ob delicta etiam verberibus excipi iusserat d). Ob teneram ætatem Imperio nondum maturam, tutoribus, Ducibus, Arcadius Rufino e), Honorius Stiliconi f), uterq; Gildoni, concreditus, hominibus infidelibus. Arcadius regn. 13. ann. 3. mens. g) Honorius Promulgator legis 28. an. 6. mens. h).

XLIX. THEODOSIUS JUNIOR a) successit A. C. 408. b) Princeps vitæ integerrimæ, in primis Christianæ religioni addictus, & lectioni sacræ adeo intētus, ^{ut} universam ejus aulā Pietatis officinam, non vitiorum sentinam, diceres c). Ad exemplum mitis, benignus, pacis studiosissimus & doctus d). Discendi desiderio, & quotidianâ cum Pastoribus conversatione ad amorem librorum illectus, exemplo Ptolomæi, instructissimâ Bibliothecam comparavit, nō tam ut subtiliter de rebus differeret, quàm bene secundum virtutem viveret. Adhæc, aliaque hortatricem habuit sororem Pulcheriam e) prudentissimam & formosæ castitatis virginem, quæ mores fratris, jam te-
gendo

gendo vitia eius, jam corrigendo, assiduò formavit: correxit etiam supinam illius in subscribendis literis negligentiam f). Indixit Synodum Ephesinam g), contra Nestorium, Deum, natum, passum, crucifixum & totam idiomatum communicationem negantem, presidente Cyrillo Episcopo Alexandrino, Theodosius collegam assumpsit Valentinianum III. h) A. C. 425. i). qui inter ultimos Occidentis Imperatores fuit. Circa hæc tempora Genfericus k) Vandalorum Rex, foedere sibi junxit Attilam l) Hunnorum Regem, qui duo plerasque Romanorum provincias ferro, flammâ, rapinis crudeliter pervastarunt. Unde Episcopus quidem Galliæ ita salutavit Attilam: Salvum te advenisse, gaudeo: quem iudico flagellum esse Domini & Dei mei, missum ad castigandos populos. Apud Imperatorem Valent. primas tenuit Aëtius m), terror Attilæ. Hic invidiâ pressus; ideò de eius nece cum deliberaret Valentinianus cum amicis, an ea salutaris foret Reipublice? Quidam respondit: Nescio sanè, hoc scio, si illum sustuleris, tu tibi dextrâ manu alteram descabis. Et sanè cum Aetio pariter Imperiū Occi-

Occidētis salus occubuit. Theodofius regn[
in Oriente 42. an. n]; Valentinianus in Oc-
cidente 29. ann. 5. menses o]. Hac tempe-
state *septem martyres*, in spelunca quon-
dam, Decio imperante, obstructâ quie-
scentes, post CC. ferè annos excitati p], re-
surrectionis mortuorum fidem, apud mul-
tos labantem firmâsse referuntur.

L. MARTIANUS a] success. A.C. 450.
b) Huic Martiano nondum Cæsari, cum à
Genserico captivus teneretur, inter venan-
dum solis ardore defatigato, *aquilæ* um-
braculum præbuit, ne à radiis solaribus læ-
deretur c]. quo spectaculo delectatus Gen-
sericus præfagiens, *hunc Imperatorem fore*
dimisit eum, hâc conditione, *ne Imperator*
factus, bellum inferret Vandalis. Theodo-
sio defuncto, ejus soror *Pulcheria* Martia-
num, conjugii titulo, salvâ virginitate d],
evexit in Imperium e]. Cæsar tranquillus &
pacificus f], nunquam nisi provocatus pro-
silire ad arma voluit, frequenter illud in ore
habens: *Quamdiu pacatè vivere licet, non*
est decorum Principi, ut arma sumat. Or-
thodoxæ fidei sincerè deditissimus g], Ec-
clesiisque ab hæresibus purgandis valdè in-
ten-

tentus. Congregavit *Concilium quartum Oecumenicum Chalcedonense* *b]* contra Eutychianos, Christi naturas dissolventes, unamque absorptam, dicentes, cui interfuerunt 630. Episcopi. Regnavit, 7. ann. 6. mens. *i]*.

LI. LEO THRAX *a]* successit A. C. 457. *b]* Primum ab *Anatolio* *c]* Patriarcha Constantinopolitano coronatus, quæ tamen coronatio non Imperium, sed testimonium Christianismi dedit Imperatori alias ritè designato: Æmuli ejus dixerunt; Hanc Leonem potiùs nos devoremus, quàm ille de nobis prandium instruat. Princeps multis egregiis virtutibus ornatus, in primis beneficentiæ studiosus sæpè dixit: Sicut sol cunctis, quæ illustrat, nonnihil impertit caloris; sic Princeps debet eos dignari benevolentiam & misericordiam quos intuetur *d]*. Mediocriter doctus, doctos non exiguo habuit pretio. Laudatur vox ejus, qua stipendium *Eulogio* Philosopho *e]* datum, in militiam insumere svadenti respondit: UTINAM MEIS TEMPORIBUS EVENIAT, STIPENDIA MILITUM IN DOCTORES ARTIUM BQNI PUBL. ERGO ABSUMI! Regnavit

gnavit 17. ann. 6. mens. *f*). Pictori cuidam. Christum instar Jovis delineare volenti, manus exaruit *h*).

In OCCIDENTALI Imperio Valentiniano successit AVITUS *a*), deinde MAJORATUS *b*), postea SEVERUS *c*), ab hoc Anthemius, post alii, nimirum OLYBRIUS *d*), GLYCERIIUS *e*), JULIUS NEPOS *f*), AUGUSTULUS *g*): Occidentis Reguli magis, quam Imperatores, qui mutuis laniensis & insidiis interierunt, neque diu regnarunt.

LII. LEONI *a*) infanti Nepoti suo ex *Zenone & Ariadna* Imperium contulit anno 474. *b*) qui Leo, 17. diebus regnans *c*) post avum mortuus est, ignorans quid acceperit, egerit, perdiderit, aut reliquerit. Patrem *Zenonem* Augustalibus insignibus decoravit *d*).

LIII. ZENO ISAURICUS *a*) ab ignobili Patria ita dictus, homo deformis animo & corpore *b*), successit A.C. 474. *c*) Non ut Augustus, sed ut tyrannus imperavit: à *Basilisco* *d*), factione uxoris pulsus, cum in *Isauriam* concessisset, vitamque privatam instituisset, non multo post, magno civium, qui *Basilisci* tyrannidem ferre non poterant, favore
re

re revocatus, eundem Basiliscum expulit, inediaq; mori coegit. Tandem Zeno cum ob vitam corruptissimam omnibus exosus esset, etiam conjugi, ab illa inebriatus, pro mortuo in monumentum Imperatorium coniectus est e), in quo, recepto sensu, miserè has voces, sub saxo ingeminasse, ferunt: *Miseremini & aperite*. Dicentibus quidam, alium jam tenere sceptrum respondit: *Nihil jam istud curo, monasterium ingrediar, eoq; includar, dummodo emittar*. Ast inanes fuere clamores, cum *Ariadna* conjux severè id prohibuisset, ne quis eum liberaret. Tandem continua membrorum arrosione extinctus est, cum imperasset 17. ann. 5. menses f). Eo regnante, præstantissima urbis *Constantinopolis* pars incendio perit, quod absumpsit insignem illam *Bibliothecam* CXX. g) librorum millibus refertam. Inter quos fuit *opus Homerib)* exuviis *Draconis*, CXX. pedes longis, inscriptum aureis literis.

LIV. Extincto Zenone *Ariadna* Augusta ANASTASIIUM a) matrimonio sibi jungens, eum simul Imperio beavit A.C. 491. b) homo atheus & persecutor Christiano-

rum
 a) Deos ab a
 et a deo

rum

rum c]. Syngrapha sua se Orthodoxum testatus, deinceps eadem per vim Patriarchæ Macedonio extortâ, Eutychiana hæresi se infectum prodidit d]. Malè excipit pontificis Legatos, scripsitque ad *Hormisdam*, Papam: *Nos imperare volumus, nobis imperari nolumus* e]. Tandem fulmine extinctus est f], cùm regnasset 27. an. 3. menses g]. In somno eum hanc audivisse vocem, scribitur: *En, ob tuam improbitatem XIV tibi vite annos deleo. Vixit tum Boëtius nobilitate generis & eruditione nulli secundus*. Sub hoc *Thalmud* Judæorum, quod *Babylonicum* vocatur, à Rabbi *Aser* h] collectum, publicatum est. *Demetrius* Arrianorum Episcopus mutatâ formulâ baptismi, baptizavit quendam his verbis: *Baptizo te in nomine Patris majoris, per Filium Minorem in Spiritu Sancto* i]. Ad quæ verba recitata, aqua statim evanuit, & baptizatus orthodoxus Christianus factus.

LV. JUSTINUS a] successit A.C. 518. b] Pietate clarus & Arrianæ hæreseos osor, sed infimæ fortis homo, prius subulcus c], post faber lignarius d], inde miles e], & deniq; conscens omnibus dignitatum militari-

um gradibus, mirabili astutiâ Imperator factus f) Regn. 9. ann. g).

LVI. JUSTINIANUS. a) Justinii è sore
 rore nepos success. A. C. 527. b) Nihil ei (1.
 tantæ curæ fuit, quàm veterem Romanorû
 gloriam situ & squalore deteriore produ-
 cere nitidiorẽ. Templum Sophia c) magni- 2.
 ficentissimũ admirando ædificio extruxit
 in honorem Christi, qui solus σοφια Patris,
 in quod posuit mensam auream, ornatam
 gemmis. Longitudo templi fuit pedum 260.
Altitudo 180. Latitudo 115. Vir iustus & in-
 teger, certè maximus Princeps fuit. In per-
 scrutandis rebus ingeniosus, ad vindictam
 præceps, hæresiũ hostis maximus, in pecu-
 nia effundenda inmodicus, in congerenda
 intemperatissimus. (Convocavit Synodum 3.
Oecumenicam V. Constantinopolitanam d)
 contra Arrianos, Nestorianos & Eutychia-
 nos. Leges Romanas diffusas & pasim dif- 4.
 fonas in unum corpus, operâ Triboniani &
 aliorum lctorum colligi curavit e). Ipse
 bellis non interfuit, sed plurima per Duces
 gesit, quos inter eminuit Bellisarius, cujus 5.
 virtute Persas, Gothos, & Vandalos, eo-
 rumque Reges Cabadem, Vitigem & Geli-
 merem,

C

merem,

merem, panem, spongiam & citharam pe-
tentem, debellavit; hinc Imperator in e-
ius honorem numisma in vulgus spargi ius-
sit, cum hac inscriptione: Bellisarius decus
Romanorum. Qui tandem, premente invi-
diâ, de gradu dignitatis dejectus, & ab Im-
peratore in templo Sophiæ exoculatus, pa-
nem mendicare coactus fuit, clamans: Da-
te Bellisario obolum, quem virtus sua extulit
invidia aliorum depressit f). Regnavit 38
an. 7. mens. g).

LVII. JUSTINUS JUNIOR a) five II
 successit A. C. 565. b) Princeps vecors &
 avarus *Narfetam* c) liberatorem Italiæ, a
 Romanis accusatum, exautoravit, submisit
 in locum ejus *Longino* d), qui primus Raven-
 næ *Exarchus* dictus est. Longobardis in Ita-
 liam attractis, eam ipsis prodidit *Narfetes*,
 qui novum regnum, crudelissimè sæviendo
 istuc condiderunt, & ab *Alboino* primo Re-
 ge e) ad *Desiderium* per ducentos & qua-
 tuor annos in principatus divisam, Italiam
 tenuere. Justinus, svadente uxore *Sophiâ*,
Tiberium Cæsarem declaravit, taliaque ver-
 ba, in eo declarando protulisse, fertur, qua-
 lia nullâ historiâ, vel vetere, vel recentiore,
 sunt omninò commemorata: *ut videlicet*

1. DEUM ricè coleret f). ^{51.} Subditis bene præesset.
2. ^{2.} Oppressis ferret, opem. ^{4.} Militarium avariti-
am coërceret. ^{5.} Purpurâ neutiquam intume-
sceret. ^{6.} Divitibus prestaret securitatem suis
fruen̄di opibus. ^{7.} Nihil habentibus, daret. ^{8.} Im-
peratricem, benignam antea Dominam, con-
venienti honore afficeret. Verùm ille ipse &
sui & Justiniani dissimilis factus, ad rapinas,
direptiones, omnemque ferociam ingeniū
vertit Justinus, Fidei Christianæ contem-
ptor maximus, in Pelagianam incidit hære-
sin, melior auri custos, quàm Imperii, meli-
orque monitor: quàm Imperator. Tandem
non sine plandū vitæ insipienter actæ de-
cessit, ætis potentix ann. 13. g).

LVIII. TIBERIUS II. a) successit A.C.
578. b) Princeps gloriosissimus, victoriosis-
simus c) & beneficentissim⁹ (s d), cum primis
in pauperes, & literatos, exinde à Sophia
Justinii vidua reprehensus, quòd R empubli-
cam ad pauperiem redacturus esset dicente:
Quod ego collegi & corrasī tu prodigè disper-
gis. Sed respondit Imperator: Confido Do-
mino, fisco nostro nunquã de-futura est pecu-
nia, quã diu vel pauperes stipem accepturi, vel
sapientes homines Reipubl. præfuturi sunt,

allegans dictum Syr. 7. 35. Nec fefellit ipsū
 spei latæ augurium, Deus enim ipsi opes &
 insignes victorias contra hostes, largitus
 est e), dum non solum marmoream tabu-
 lam, cruce insignitam, religionis causâ tolli
 cum iussisset, ingētem inibi auri vim defos-
 sam reperit f); Sed & Narsētis Eunuchi
 locupletissimos thesauros, a Sene quodam
 indicatos, indeptus est g), Mauritium Du-
 cem generum sibi ascivit, fecitque Impera-
 torem, prolatis inter alia his verbis: (Sit ti-
 bi, Mauriti, Imperium meum cum hāc puel-
 la concessum, utere eo felix, memor semper, ut
 equitate & justitiā delecteris.) Imperator &
 vitā Imperio dignissimus regnavit 4. an-
 nos b).

LIX. MAURITIUS CAPPADOX a)
Lercy successit A. C. 582. b) Princeps pius cor-
 datus & gravis. Duas virtutes penè dissocia-
 biles magnitudinem & mansuetudinem, ab
 omni superbia alienam, conjungens, Impe-
 rium tamen exigua cum laude administra-
 vit. Primus ex Græcorū genere ad Imperii
 fastigium evectus, ex Scriba Comes & Dux
 exercitus, ex Duce Imperator factus. Persas
 feliciter debellavit. Sclavos compescuit &
 repres-

represit, sed quia milites captivos à Chagano Avarum seu Hungarorum Rege nummo uno viritum redimere recusavit, in odiū venit; & à Phoca, in suum locum substituto, miserè cum universa domo occisus est c). Spectato suorum exitio, hanc eximie patientiæ ac humilitatis vocem ad singulas cædes protulit: Justus es Domine, & justum iudicium tuum Regn. 20. ann. d)

LX. PHOCAS a) successit A. C. 602. b) / Medice
Infimæ sortis homo, deformis, libidinosis,
vinosus, Tyrannus veriùs, quàm Imperator c). Ut acquisivit potestatem, ita gessit. Primus qui Bonifacio III. superioritatem & jurisdictionem in omnes Ecclesias ac Imperatores concessit d), exinde quasi Parens Anti-Christi occidentalis. Tandem pestis humani generis, stirpisque Mauritianæ excisor, ab Heraclio victus, & horribiliter in bove e) anno Imperii 8. f) crematus unà cum stirpe sua penitus periit.

LXI. HERACLIUS a) successit A. C. 610. b) Divitiis potens, robore ac pulchritudine præstans. Persis Africam vastantibus, legatos cum muneribus ad eorum Regem Cosroem misit, qui admonerent eum,

quantum Imperio Romano deberet, & ut tandem suæ felicitatis faceret modum & pacem concederet. Sed repelluntur Legati, respondens: *Se non pacem amplexurum, nisi Heraclius cum omnibus subditis, relicto DEO in crucem acto secum, Solem adoraret.* Desperatâ pace, Heraclius animosior jam contra Persas, quod non pro Imperio, sed *pro Christo & religione* pugnaturus esset. Igitur divino implorato auxilio, Persas tribus gravissimis præliis superavit, receptâ iterum Syriâ & Hierosolymis, aureoq; in vectus curru Constantinopoli triumphavit, in manibus gerens crucem Christi e). Verum Saraceni seu Arabes tandem ob non persoluta stipendia defecerunt & Mahometem Deum Turcarum, fatale Christianæ religionis portentum, sibi elegerunt d). Atque sic Heraclius perdidit *Asiam, Syriam, Ægyptum & Hierosolymam*, quæ loca Saraceni occuparunt. Tandem Deus ob assumptam Monothetarum hæresin, & propter incestuosas nuptias cum Martina fratris sui filia, eum punivit, ut vultum ipse sancti lotio permingeret e). Regn. 31. annos f).

LXII. CONSTANTINUS IV. a) successit

fit A. C. 641. *b)* qui, cum coronaretur, coronam Imperatoriam, cum patre sepultam, effodi & sibi imponi iussit *c)*, sed eum diurnare non sivit odium novercale Martinæ, quæ Imperium meditans cum filio Heraclona, veneno privignum sustulit mense Imperii quarto *d)*.

LXIII. HERACLEONAS *a)* successit A. C. 641. *b)* decennis cum matre *Martina* *c)* pessimâ muliere regnans 6. mens. *d)*, ubi illi nasum absciderunt *e)*, ne decor & gratia in vultu commiserationem faceret, *huic* linguam præciderunt *f)*, ne oratione, quâ plurimum valebat, populos commoveret, & ambo in Cappadociam relegati sunt.

LXIV. CONSTANS 2. *a)* successit A. C. 641. *b)* *Constantini* 4. filius degener, sedem imperii Constantinopoli Româ transferre ausus est dicens: *Ampliores honorem matri, quam filia deberi.* Ob insolentiam à suis Syracusis in balneo, fervente aquâ per-fusus, trucidatus est *c)*, Regn. 27. an. *d)*.

LXV. CONSTANTINUS 5. *a)* Barba-tus *b)* dictus *Filius Constantis* 2. successit A. Chr. 668. *c)* Fratres suos Imperium affectantes, naribus mutilavit *d)* Saracenorum

motus in Sicilia composuit, Constantino-
polin fortiter defendit, & pacem in triginta
annos fecit, quæ pax dicitur altera porta ca-
lamitatum Orientis. Pace istâ cognitâ, cæ-
teri ad Occidentem hostes, pacem ab Im-
peratore petierunt & impetrarunt. Ita Ori-
ente & Occidente pacatis, Constantinus,
cùm Orthodoxus esset, convocavit Conci-
lium Oecumenicum VI. e) quod dicitur Trul-
lanum contra Monotheletas. Regnavit 17.
annos f).

LXVI. JUSTINIANUS SECUNDUS,

a) Filius Constantini V. success. A. C. 685.

b) Ultimus ex familia Heraclii. Sergio Pon-

serg: tifici Romano sese opposuit, qui Pontifex

se opposuit conjugio inter Clericos c). Fæ-

dera, cum Bulgaris & Saracenis facta, bis

rupit d), filius exercitui Sclavico, quem Po-

pulum acquisitum dicebat. Hinc arma sum-

fit & ad pugnam progressus, sed Saraceni

DEO, ut tam manifestæ perfidiæ vindex ef-

set, invocato, tabulisque fœderis de hastis

suspensis, in pugna victoriam obtinuere.

Sclavis deficientibus & P. R. desertentibus

à Leontio præcisis naribus e), ob crudelita-

tem relegatus. Regn. 9. ann. f).

Persia
punita

LXVII.

LXVII. LEONTIUS a) successit A. C. 694. b) sub Justiniano Dux, biennium in carcere detentus c); ex quo, Callinito Patriarcha juvante, evasit, & Imperator factus, Theodosium & Stephanum, quos crudeles expertus fuerat, funibus ad pedes alligatos, perq; urbem tractos combussit. Cui vicissim à Successore nasus abscissus d), & vita adempta est Regn. 3. annos e).

LXVIII. TIBERIUS 3. a) seu *Absimar* rus b) successit A. C. c) 607. à militibus Imperator salutatus. Leontio, truncatis naribus, in Monasterium detruso, regnavit 7. annos d) & à Justiniano reduce capite truncatus est. *Justinianus* post decennale exilium Imperio restitutus, regn. 8. ann. e) & à Philippo capite truncatus f). Adeoque hi Tyranni se mutuò, nò ut muli scabunt mulos, sed ut carnifices torquent fures interfe- cerunt. Sub hoc *Aripertus g)* Longobardorum Rex Johanni VI. Pontifici Romano Cottias Alpes donavit h) Donationis instrumentum aureis literis perscriptum, Romam misit. Hæc est omnium prima Provincia à Pontifice Romana possessa.

Prima Pontificis por-
tio.

LXIX. PHILIPPICUS BARDANES a)

C 5

SUC-

Successit A. C. 711. *b*) satis quidem aliàs in dicendo disertus, nec prudentiæ expers, sed ad res gerendas omnium ineptissimus, consilio Artemii Secretarii oculis privatus *c*), & in carcerem coniectus est *d*), ubi fame, siti multisq; in commodis affectus, miserè interit. Regnavit 1. ann. 6. mens. *e*).

LXX. ARTEMIUS *a*) sive *Anastasius II.* *b*) successit A. C. 713. *c*) Vir eruditus, orthodoxus & amans quietis, sed bello infelix, à Theodosio per invidiam Imperio dejectus, in monasterium inclusus est. Regnavit 2. annos *d*).

LXXI. THEODOSIUS *3. a*) successit A. C. 714. *b*) ab exercitu invitatus factus est Imperator *c*), fidei orthodoxæ observantissimus, ob comitatem omnibus charus. Tertius fuit, qui sponte se ab Imperio abdicavit *d*), & reliquum vitæ tempus pro clerico Ephesi satis feliciter exegit. Regn. 2. ann. *e*).

LXXII. LEO ISAURUS *a*) successit A. C. 716. *b*) Terra marique maximas contra Saracenos gessit res, maximaq; ab Imperio depellit pericula. Judæos coëgit, ut religioni Christianæ darent nomen *c*), sed hi postea, vel baptismum ejurarunt, vel se ipsos domi-

Nemo ad religionem cogendus.

domibus inclusos concremarunt. Sub eo^{2.}
 imaginum destructore controversia Icono-
 machica inota, unde *Iconomachus* dictus,
 ein Bilderstürmer/d). Regnavit 24. ann. e)
 Illo regnante *Inas* f) West-Saxonum in^{3.}
 Anglia g) Rex, Romam profectus regnum^{Dena-}
 suum vectigale facit, ita ut Romano Ponti-^{rigs.}
 fici ex singulis domibus quotannis dena-^{Petri}
 rii penderentur, quam pensionem vocarunt
Denarium S. Petri h). Eo tempore *venera-*
bilis Beda Anglicus mortuus est i).

LXXIII. CONSTANTINUS 6. a) F.
 Leonis, *Copronymus* b) vocatus, quod ba-
 ptismum infans stercore foedaverat c). Item
Caballinus dictus, ex *Caballarum* sordi-^{Es 45}
 um a stimulatione d), successit A. C. 741. e).
Anastasium Patriarcham, qui *Artabastum*¹¹
 Imaginum propugnatorem, Imperatorem
 nominarat, in poenam rebellionis fustibus
 subjecit, & dein retrorsum asinum agitare
 iussit per urbem, sicut fræni vice caudam
 teneret f). *Pipino* Regi Gallorum *organum*
Musicum g) ante hæc in his regionibus inco-
 gnitum misit. Post infinita flagitia exquisi-
 tissimo cruciatur consumptus obiit. Regna-
 34. ann. h).

canes magis asinat, sicutur Caming.

LXXIV. LEO 4. a) Constantini filius, vivo adhuc Patre successit A. C. 775. b) in uxorem ducta *Irene*, Bulgarorum Regis filia, moribus Græcis imbuta, quæ ceu *Athalia* & *Jefabel* altera rempublicam perturbavit. Per gratiam obtinuit, ut posterioritatis suæ Dignitas Imperii hæreditaria confirmaretur. Ab initio orthodoxus visus, sed post imaginum cultorū persecutor, & cum duas imagines in pulvinari Irenæ reperisset, eam ob id repudiavit & repulit, alioquin nihil memorabile gesit. Regn. 6. ann. c).

LXXV. CONSTANTINUS 7. a) Leonis filius successit A. C. 780. b) Imperio immaturus, prudentissimæ matris Irenæ c) curâ & laboribus, optimis literis imbutus & sic dignitate conservatus fuit, indixit *Synodum Nicenam* pro imaginibus, quæ nonnullis dicitur *septima Oecumenica* d). Constantinus tantisper felix quantisper matris consiliis obtemperavit; grandior vero factus, matre dejecta, conjugè abdicata & cubiculariâ abductâ, insolenter regnare cœpit, hinc magni motus orti sunt, & mater filio victo, oculisque privato e) ad imperium rediit, quo tribus annis retento, per occultos nuntios

tios Caroli Franci connubium petiisse dicitur, hinc à Proceribus, tanquam exteris Imperium proditura, in Lesbum relegata & ab Imperio de communi sententia remota fuit. Constantinus cum matre regnavit 10. ann. *f*), solus ann. 8. *g*). Irene sola 5. ann. secundum alios 6. *h*).

Hucusque Oriens supra Occidentem effloruit. Jam verò fortuna, desertis Grecis Imperatoribus, opes suas in Occidentem effudit; quia verò Historiæ Imperatorum Constantinopolitanorum non adeò memorabiles sunt, relinquam, & Imperium Germanorum in Occidente breviter persequar.

Sequitur Dynastia Carolidarum, h. e. eorum, qui plerique à Carolo M. ortum habuerunt.

LXXVI. CAROLUS M. *a*) Germanus successit A. C. 800. *b*) Pipini Francorū Regis Filius. Ex ejus prosapia Celsissimi *Chattorū* *c*) Principes prodiere. A rerum præclare gestarum gloria & magnitudine **MAGNUS** *d*) & *Christianissimus* dictus; Unus inter summos & salutare orbis terrarum **Monarchas**

chas, divinitus excitatus & adjutus: occupa-
 pata armis *Italia & Româ, Longobardorum-*
que regno destructo, Populi Romani scito,
 à *Leone III. Pontifice Imperator & Augu-*
stus renunciatus, diademate donatus atque
 inunctus e). In rebus bellicis non minus vir-
 tute, quàm felicitate celeberrimus, *Imperi-*
um Occidentis, per annos amplius trecen-
 tos à diversis gentibus tentatum & horri-
 biliter laceratum, primus restituit, legibus-
 que constituit: *Saracenos, Slavos, Danos,*
Bohemos, Hunnos, Avaros fortiter debella-
 vit f); quas gentes omnes licet non oppres-
 serit, fractas tamen domuit & represit.
 Nec pacem tantum reddidit Occidenti,
 sed quod multò majus & tanto Principe di-
 gnus est, *Ecclesiis passim & Scholis consti-*
tutis plurimis, Christianam Religionem in
Germania longè lateque disseminavit. *Pa-*
risiensis Academia tam sollicitam gessit cu-
 ram, ut & Præceptorum quandoque fre-
 quentaret lectiones, & discipulorum, insti-
 tutis tentaminibus, exploraret progressus.
 Inter quos invenit & *nobiles divites & pau-*
peres; pauperes verò in studiis meliorem
 progressum habuerunt quàm divites, ideo-
 que

que illos in dextram partem, quos laudavit ob diligentiam, humaniterq; excepit, hos vero in sinistram partem, quos vituperavit ob negligentiam, collocavit g). *Synodum Francofurtanam* h) contra Felicem & Nicænam VII. indixit. *Aaron* Saracenorum Princeps, ex ipsa Persia missis ad Carolum Legatis, inter alia munera *Horologium* b) ex aurichalco mirâ arte fabricatû ei donavit. *Mortuus testamentum* erexit, ut justissimum, ita propter misericordiam erga pauperes k), piissimum. *Ludovicum* etiam filium, Aquitaniæ Regem, Procerum consilio & consensu, diademate imposito, iussit Imperatorem appellari. Tandem febris & pleuritide, septimo, postquam decubuit, die decessit, ætatis 72. Aquisgrani, ubi templum condidit, humatus. Regnavit 14. annos l).

LXXVII. LUDOVICUS a) successit A. C. 814. b) propter Christianæ religionis studium morumq; mansuetudinē, cognomen-
to *Pius* c) dictus, Sacram Scripturâ in linguâ Saxoniam transferri curavit. Scholas à Patre ad Christianismi propagationem hinc inde institutas, fovit. Ante Imperium bello in Hispania, contra Saracenos, clarus. *Bern-*
baro

hardum Longobardiæ Regem, ex fratre *Pipino* nepotem Italiam sibi subjugare conantem, cum omnibus aſſeclis luminibus privavit, & excæcatum in monasterium detrufit *d*). Ex *Irmengardē e*) primâ uxore tres suscepit filios, *Lotharium f*) *Ludovicum g*) & *Pipinum h*). Hâc mortuâ ad secundas properavit nuptias, ex quibus infinita exorta sunt mala. Piiffimus pater, inſtinctu aliorum, ab ingratis filiis captus, & in monasterium detrufus est i), missâ *Augustâ novercâ* in Italia, ob suspicionem molitionum *k*), quam ei Episcopi concitaverant & *Lothario*, filiorum maximo, Episcoporum impulsu, Imperium affectante, qui cum exercitus, ad liberandum *Ludovicum* undique conflatos videret, nolens volens Patri supplex factus, rebellionis veniam consecutus est, missus denique in *Lotharium* Imperii insignibus, mortuus est *Moguntia*, cujus obitum antecessit *Cometa*. Regn. 27. ann. *l*).

Impii
filii

LXXVIII. **LOTHARIUS** *a*) successit **A. C. 840.** *b*) Mortuo Patre *Ludovico Pio*, patrati in eum sceleris penas **DEUS** à filiis exegit, qui dissidentibus inter se animis, pater-

ternam Imperii divisionem, æquo animo ð
ferentes, ad arma rem deduxerunt c), obti-
nueruntque, quantum quisque sibi acquire-
re potuit, juxta illud Ovidii:

Vivitur ex rapto, non hospes ab hospite
tutus,

Nec gener à socero, fratrum quoq; gra-
tia rata est.

Bello sedato, & transactione facta, Imperi-
um & Italiam obtinuit, *Austrasiæq;* regnum
gubernandum accepit, quod *Lotharicum*
à se appellavit. Cum Imperio annis 15. d)
præfuisse, rerum curâ filio Ludovico reli-
ctâ, tædio vitæ præsentis, facinorisque in
patrem patrati expiandî consilio, Mona-
chorum apud Treviros sumpsit habitum.
Hoc tempore *Johanna VIII. Papissa e)* men-
tito habitu, Romæ sedit. Non ponitur à
quibusdam Pontificiis in catalogo Pontifi-
cum, quia nomen ejus publicâ authoritate
è fastis erasum est.

LXXIX. LUDOVICUS 2. a) success. A.
C. 855. b) Princeps humanitatis, justitiæ &
in Deū pietatis laude celebris, in literis tam
divinis quàm humanis ad stuporem versa-
tus.

Fr.
p. 16.
hu.

do-
29

13

miser-
cots / tus fuit c) Pupillorum & orphanorum tutor
singularis. Vicit Sclavos, & ad Christianis-
mum convertit. Italiam contra Saracenos
defendit. Cum nobilitate Romana exostu-
lavit, quod absq; consensu suo Papam ele-
gissent. Regn. 20. an. d) Eo regnante Con-
cilium Oecumenicum VIII. Constantino-
poli celebratum e) Brunsvicum Saxoniae civi-
tas hoc tempore à Brunone Ludolphi Sa-
xoniae Ducis filio conditur f).

LXXX. CAROLUS a) calvitie Calvus
b) dictus, successit A. C. 875. e) Filius Ludo-
vici Pii, Galliae Rex à Joh. 9. Pontif. ingen-
tibus donis corrupto, Romae consecratus
Imperator, Vir ambitionis & jactantiae in-
tolerabilis d). Dolo quam armis pugnare
paratior, qui tamen saepius fugit hostem,
quam fugavit. A Sedechia Medico Judaeo,
Judaei
Melch. quo familiarius justò utebatur, veneno sub-
latus e). Regnavit 2. ann. f) Eo imperante,
Vindic-
cha Meinardum Comitem, per nemus iter faci-
entem, latrones adoriuntur, ille vindices
implorat praetervolantes corvos, occiditur
nilominus Meinhardus; sed corvi homi-
cidas Basileam usque sequentes crocitu suo
authores caedis designarunt g).

LXXXI.

LXXXI. LUDOVICUS 3. a) *Balbus* b) F. success. A. C. 878. c) Quem inutilem tradendis negotiis reddebat perpetua invaletudo, morbo correptus, interiit, cum Imperium non diu gustasset, relicto filio posthumo, Carolo simplici. Regnavit 2 annos, 6. menses d).

LXXXII. CAROLUS 3. a) à corporis obesi habitudine *Crassus* b) appellatus, successit A. C. 879. c) Clarus & felix; si tam scivisset parta tueri, quàm quærere, duobus enim fratribus defunctis, Germaniam omnem, Italiam & Galliam obtinuit, quod, præter Carolum magnum & Ludovicum Pium, nulli contigit. Primus in actis ad numerum annorũ regni adjecit annos a re Christiana d). Fundavit unà cum Patte Monasterium S. Bartholomæi Francofurti. Cum corpore animoq; simul languesceret, ac *Richardam* Augustam adulteri cum Ludvvaldo Episcopo Vercelleni accusaret, ipsa pudicitiam suam palàm omnibus probante, juramento scilicet, vestimentorum cerâ illitorũ atq; in ignem projectorum illasâ extractione e); atque aliam cum Normannis ignominiosam pacem iniisset, concessâ illis
Gal-

Galliæ parte, quam hodie *Normandiam*,
 vocant, adeo se inuisum omnibus reddidit.
 ut tanquam inutilis, cui summa rerû com-
 mitteretur, iudicatus, & Arnolpho ei Suc-
 cessore dato Imperio depositus sit *f*). Pau-
 pertate itaqve pressus *g*), in ignobili Sve-
 viæ pago vitam finiit. Regnavit 8. annos, 6.
 mens. *b*). Hæc & sequentia tempora com-
 parantur cum statu Hierosolimæ, qui de-
 fletur in Threnis Jeremiæ *i*), unde quidam
 tum temporis scripserunt threnos Germa-
 niæ & Franciæ.

LXXXIII. ARNOLPHUS *a*) successit
 A.C. 888. *b*) Carolomanni Regis Bavariæ
 & Ducis Carinthiæ filius naturalis, nepos
 Lud. Senioris Regis Germaniæ. Princeps
 strenuus & bellicosus, qui *Normannos* &
Moravos multis cladibus affecit, *Guidonem*
c) Italiæ tyrannum totâ Longobardiâ expu-
 lit. *Roman* auxilio leporis cepit *d*). Deinde
 in rapinas Templorumq; spoliationes con-
 versus, iustam Dei iram sensit. Nam Guido-
 nis conjux, valdè astuta, per quendam, auro
 in id corruptum, ei pharmacum ingesit *e*),
 quo accepto, mox morbo Herodis, i. e.
 phthiriasi correptus, nec multò post pedi-
 culari

culari morbo absumtus fuit *f*), cum impe-
rasset 12. ann. *g*).

LXXXIV. LUDOVICUS 4. *a*) septen-
nis, successit A. C. 900. *b*) ultimus familiæ
Carolinæ Imperator, cujus Imperium in
iniquissima tempora incidit. Contra eum
in Italia à Pontifice *Ludovicus Cosonis c*) fi-
lius Imperator salutatus, qui postea à *Be-
rengario d*) Longobardorum Rege exocu-
latus est. Imperator *Albertum* Comitem
Bambergensem Hattonis fraude, cepit, &
capite plexit *e*). Cum *Hungaris* semper ini-
quo Marte congressus, florentissimam No-
bilitatis Germanicæ partem perdidit, ideò
mœrore animi extinctus sine hærede anno
Imperii 12. *f*).

LXXXV. CONRADUS I. *a*) Franco-
niæ Dux successit A. C. 912. *b*) Ab *Ottone*,
prudentiâ, sanguine, rebusq; gestis nobilis-
simo Saxonum Duce, Imperium oblatum
ob ætatem recusante, Imperator designa-
tus. Cum Principibus sibi infensis variâ cer-
tavit fortunâ. Cum *Henrico* Saxonie Duce
atrocissimum gessit bellum, cui nihilomi-
nus moriturus, ob virtutem, quam expertus
fuerat, insignia Imperii per fratrem *Eber-
har.*

hardum transmiserat, laudatissimo Patriæ amore publicam salutem privatis inimici-
tiis præponens. Regn. 7. ann. c). *Hic jam
planè Francorum linea in catalago Impera-
torum desinit:*

*Sequuntur Imperatores ex Familia
Saxonum.*

LXXXVI. HENRICUS a) Ottonis M.
Ducis Saxonie Fil. Witechindi M. Atnepos
accepit Imperium A.C. 919. a) dum *aucep-
pio* se oblectaret, (unde *Auceps* c) dictus) in-
augurationis ritu Frizlarie peracto in con-
ventu Procerum; Oblatam à Papa conse-
crationis & unctiois ceremoniam respuit,
dicens: *Satis est, Nos divina annuente gra-
tia d), Vestrag, Principes, pietate, Regem
dici Romanorum Tanto honore nos indignos
arbitramur. Penes eos unctio sit, qui majores
esse cupiunt. Hæc sumus appellatione con-
tenti. Quibus dictis, manibus cœlum ver-
sus elevatis, DEO se imperiumq; commenda-
vit. Movit tam spectata pietas populi cla-
mores, meruit plausus, & undique accla-
matum: Deus te Regem custodiat, Deus te
juvet, Diatibi gratia assistat! Vir in bellicis
rebus*

rebus strenuus & fortis, mox in id incubuit, ut motus intestinos sedaret, & Germaniam pacaret, exinde *Ludos equestres*, qui *Torneamenta e)* vocantur, primus instituit, ut *Nobilitas* exercitium militare haberet, & instructior ad pugnandum contra Imperii hostes esset, primosque solennes *Magdeburgi* celebravit. Propter necessariam defensionem, contra *Hungaros*, Alemanniam populantes, decrevit, ut ex agricolis nonus quisque in *urbes* recipiatur, qui à reliquis agricolis acceptam tertiã parte fructuum, alatur *f)* Omnium etiam primus provincias Germaniæ in *Marchias g)* descripsit, cum ante eum Germania inde à *Cæsaris* tempore in *pagos* divisa esset. Post memorabilem pugnam, quã ad *Mersburgum Ungaros* vicit, *Pater Patriæ, Rerum Dominus & Imperator* vocatus. Italiam ingressurus, a *plexiã correptus*, magno subditorum omnium luctu, expiravit, cum imperasset 7. ann. 6. mens. *b)*.

LXXXVII. OTTO I. *a)* successit A. C. 936. *b)* par Parenti pietate, prudentiã & fortitudine, ob rerum gestarum magnitudinẽ, & virtutis præstantiã *Magnus c)* dictus *Tanquardum*

quardum fratrem illegitimum, ob non obtentum Marchionatum Brandenburgensem rebellem, uti & *Principes* ~~omnes~~ *omnes* oppresit, fratri tamen *Henrico* supplici *d*) pepercit, ac Bavariam donavit. *Ludolphum* filium successorem designatum insidiatorem, bello persecutus, ad veniam petendam coëgit *e*). *Haraldum* Danorum Regem superatum, mediante *Poppone* Episcopo *f*), fidem Christianam suscipere, & se iugo Imperii submittere, coëgit. *Bohemos* domuit & *Boleslaum* ad Christianismum perduxit. Italiam ingressus, Papam *Jobannem XII.* deposuit *g*), & *Leonem VIII.*, *h*), substituit, ac jus eligendi Pontificem ad Imperatores transtulit. Regn. 37. ann. *i*). Eo imperante *campane* baptizari *k*) inceperunt. *Hatto* Episcopus Moguntinus combustor ille pauperum famelicorum, hoc tempore, nim. A. C. 969. *l*) à muribus corrosus, cujus turris in medio Rheno prope Bingam adhuc conspicitur.

LXXXVIII. OTTO 2. *a*) successit A. C. 973. *b*) & Patris Ottonis M. & propria virtute clarus *c*), Imperium pacatum accepit, excepto uno *Henrico* Bavaro patrueli, qui
juvan-

bus Episcopis Ratisbonæ Imperator renunciatus est, quem tamen nullo negotio compescuit, & Principum consensu exilio multavit, posthac tamen rebus ei non benecedentibus. Appellatus *pallida Saracenorum mors*, quos in Apulia vicit. Regn. ii. ann. d).

LXXIX. OTTO 3. a) cognomento *das Kind* / b) puer 10. annorum F. successit A.C. 984 c) Ob ingenii promptitudinem & singularem prudentiam *Mirabilia Mundi* d) dictus, huc pertinet versus:

Otto post Otto, regnavit tertius Otto.
 Hujus autoritate dicitur *Collegium Electorale* institutum e) alii Caroli M. alii aliorum. *Boleslaum* Polonorum Regem f) fecit. In Ungaria recepit *Stephanus* Christianissimum g). Uxor ejus impudica *Maria de Aragonia*, Comitem *Mutinensem* elegantioris formæ sollicitavit, & quia repulsam tulit, ausa eum adulterii intentati accusare, quem in fontem etiam, deceptus Imperator malitiâ conjugis, capitis damnavit h) sed innocentiam detectâ per Comitissæ relictam viduam, quæ mariti interfecti innocentiam, illæsis manibus ferrum candens sumen-

D

do

do probavit, uxorem flammis adjudica-
vit *i*). Sublatâ uxore, à vidua Crescentii
(quem olim rebellem suspendi curaverat)
pellectus est: quæ cum inde spem concepisset
conjugii, ac proinde ægrè ferret, reditum
in Germaniam parare Imperatorem, Chi-
rothecis affabrè factis, sed veneno infectis,
donatum necavit *k*). Regnavit 18. ann. *l*),

XC. HENRICUS 2. *a*) Abnepos succes-
sit A. C. 1002. *b*) ab illustri vitæ morumq;
sanctitate & *sanctus & pius c*), ut & à saltu
Claudus dictus *d*). A *Willegiso*, Episcopo
Moguntino, Plaultrarii filio, (uti referunt,
unde & *rota* in insignibus Mogunt.) more
Majorum, inauguratus *e*). Multa & ingen-
tia bella mirabili felicitate gessit. Cum uxore
Chunigunda in voto virginitatis vixit.
Eamque jam morti proximus, Parentibus,
cognatis & affinibus convocatis, illibatam,
castam & intactam reddidit & commenda-
vit. Hæc dicitur pudicitiam probasse adver-
sus Mariti suspicionem, quòd candentem
craticulam nudipes illæsè perambulave-
rit *f*). Regn. 23. ann. *g*) Eo regnante *Sal-
tantes h*) inter concionem in villa Saxonie
Kolbecke miraculum nobis redunt im-
mor.

mortale. Concionatoris enim maledictioni vires Deus suggessit: Is enim dixerat, *ut sic totum annum inquieti saltarent*. Ita factum est, nihil illos poterat impedire; finito maledictionis termino, major pars animam expiravit.

Imperatores ex Franconica Familia.

XCI. CONRADUS 2. *a) Saliquus b) dictus, successit A.C. 1024 c) Vir acer consilio d), manuq; strenuus charus Principibus, Populo acceptior, Reip. salutaris. Leges multas & perutiles tulit hanc præcipuè, ut cuius Principi capitale esset, pacem & quietem Provinciarum turbare f). Burgundiam g) cum Germania iterum ex Testamento conjunxit. Regn. 14. ann. b). Hujus tempore Landgravii Hassiæ & Thuringiæ i) florere inceperunt, & Guido Aretinus monachus novam cantandi rationem excogitavit per istas 6. voces, UT, RE, MI, FA, SOL, LA, k).*

XCII. HENRICUS 3. *a) cogn. Niger b) F. successit A.C. 1039. c) Princeps bonus & salutaris, Majestatem & jura contra Pontificum artes & molitiones, & defendit acriter, & conservavit feliciter; vetus interdictum, de*

de non creando Pontifice sine consensu Imperatoris renovavit. *Virgo vestalis*, Imperatoris soror, Monachum quendam in monasterio Kauffungensi noctu per arcam humeris gestavit *d*), ne per nivem, quæ deciderat, vestigia ejus notarentur. Id quod Imperator aliquando vidit: quare cum vacaret Episcopatus, dixit ad Clericum: *Accipe Episcopatum hunc & vide, ne ulterius inequites sanctimoniam.* Sorore verò vocatâ Abbatiam detulit, esto Abbatisa, sed hâc conditione, ut in posterû non patiaris equitem Clericum! Regn. 17. ann. *e*). Eo tempore fabro materiario filius natus, qui patre opus faciente, se camentis ludens, ea in literarum formas, hæc verba exprimentes, redegit: *Dominabor à mari ad mare f*); Quibus lectis, Sacerdos quidam, qui fortè fortunâ accesserat, auguratus, puerum Pontificem Romanum fore, quod tandem sub Henrico 4. impletum, & pro Hildebrando *g*), vocatus est Gregorius. 7.

XCHII. HENRICUS 4. *a*) F. successit A.C. 1056. *b*) Imperator fortissimus & bellicosissimus, Patriæ amantissimus, Majestatis Imperii vindex acerrimus, Carolis & Otho-

Othonibus haud dubiè æquiperand^{us}, qui sexagies bis acie dimicavit, quâ in re omnes Principes, vel ipsum quoque Casarem Dictatorem est supergressus. Multiplices expertus difficultates, nunquam animum despondit, aut contra fidem Imperio datam aliquid suscepit. Prædictus *Gregorius c*), aliàs *Hildebrandus d*) homo perditissimus, inconsulto Imperatore, electus Papa, primum simulans subjectionem, post Imperatoriam Majestatem conculcavit, coronâ *Rudolpho Sveviæ Duci* cum hac inscriptione missâ: *Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.* Qui tamen *Rudolphus* in quarto prælio lethaliter sauciatus, amissâ dextrâ *e*). Quâ sibi allatâ, jam expiraturus, Episcopis dixit: *Hæc est dextra quâ Imperatori promissam fidem confirmavi; hoc violatæ à me, vobis impulsoribus, fidei argumentum, & nefaria perfidiæ vestræ testis est, de qua vobis rationes reddenda erunt Deo.* Mor-^{Ar-} tuo regium excitatum est monumentum. Id ^{seruz} excusanti *Bullione*, respondisse Imperato-^{ri} rem ferunt: *optarem omnes hostes meos tali monumento conditos.* Tandem *Henrico* diadema eripitur à Germanis & imponitur fi-

lio ipsius Henrico V. qui infandâ impietate tanquam alter Absolon, parentem ab Imperio remotum tractat. Nam comprehensum in prælio exulare cogit, ita quidem, ut ille ab Episcopo Spirensi victum sibi dari petierit, & rogaverit Clericatum in æde ad Spiram à se constructâ: quod cum non impetraret, ad astantes dixit: *Miseremini mei vos saltem amici mei, quia manus Domini tetigit me f)* Regnavit 50. annos g). Hunc Imperatorem alii accusant, alii excusant: nos mediam viam ingredi jubet anima historia, quæ est veritas. Hoc Imperatore Bohemix Dux *Platilaus Rex b)* factus est. Et *Hierosolyma* à Christianis eo tempore recuperata & retenta per 89. ann. i).

XCIV. HENRICUS 5. a) F. successit A. C. 1106. b) cum *Goslaria* coronaretur, fulmen de cælo, vaginâ illæsâ, gladium ejus mutilavit c). Dolo magis, quàm virtute instructus. Coactus Pontifici omne jus investituræ Ecclesiasticæ concedere d), à quo tempore distinctum fuit inter spiritualia & regalia & definitum ex tripode Apollinis Romani, Imperatorem Papæ subesse non, præesse debere. Hinc Theodorus Abbas
meri-

meritò exclamat hæc in verba: *Roma regnât Simo Magus loco Simonis Petri & Simonia loco Evangelii.* Regn. 19. ann. e). Hoc corruptissimo seculo *Bernhardus* Doctor Mellifluus vixit, & *Ordo templariorum* f) institutus est.

XCV. LOTHARIUS 2. a) Saxo, variis competitoribus præfertur A.C. 1125. b) cum Carolo M. ob militiam armatam & togatam confertur *Leges Romanas* in Apulia repertas Pisanis donavit, iussitque, ut commentariis illustrarentur, & in scholis publicè docerentur, negotio dato *Irnerio* Jurisconsulto excellentissimo c). Atq; ita *Jura Justiniana* Occidenti quasi postliminio restituit, ad nos usque continuata. *Jus* quoque concessit *Magistros & Doctores* d) solennibus ceremoniis creandi. Regn. 13. ann. e). Hoc tempore solebant aliqui nimium promissos capillos alere ad instar mulierum, sed multis incognitæ flammæ eos ademerunt f).

Imperatores ex Svezica Familia.

XCVI. CONRADUS 3. a) successit A.C.

D 4

1138.

1138. *b*) *Henrico superbo* Bavariæ Duce
 æmulo, bello & præscriptione domito,
 Princeps optimus, in bello strenuus, post
 victoriam clemens & facilis. Nota enim
 est, & omnium scriptorum monumentis
 celebratur ejus pietas & clementia, quâ u-
 sus est in *Welphum VI.* Bojum rebellē, Hen-
 rici Superbi fratrem, quem post diutur-
 num bellum in oppido Weinsberg obsidi-
 one incluserat, precibusque quarundā fæ-
 mibarum permiserat, ut inviolatæ abirent;
 & , quod humeris portare possent, sume-
 rent. Tum illæ pro auro gemmisq; Ducem
 ipsum, maritos, liberos & parentes, hume-
 ris suspensos, novo inusitatoque spectacu-
 lo gestare cæperunt *e*). Fremmentibus mili-
 tibus, quòd hæ fæminæ leges deditio-
 nis do-
 lo violassent, respondit: *Non revocandum*
esse verbum Regium Regn. 14. ann. *d*) Eo-
 dem tempore *Gratianus* Monachus Bene-
 dictinus pilavit Jus Canonicum *e*), quod
 Eugenius Pontifex approbavit, & in Aca-
 demiis publicè proponi mandavit.

XCVII. FRIDERICUS BARBAROS-
 SA *a*) à rufa barba ita dictus successit A. C.
 1152. *b*), Heroïci ingenii vir, validus confi-
 lio,

lio, periculorum contemptor, liberalitate, affabilitate, corporisque decore venerabilis, multisque rebus laudabiliter gestis clarus fuit. In *togata virtute* huius Imperatoris cogitandum est illud Salustii: *De Chartagine prestat silere, quam pauca dicere. Virtus Sagata* recitari potest secundum tres actus. Nam primò septem Expeditiones in Italiã suscepit, in quarũ prima *Spoletum* excidit. Secunda conventum in Lombardia egit, & *Mediolanum* solo æquavit, quia Mediolanenses uxorem ejus *Beatricem* per contemptum mulo imposuerant, caudã loco frãni datã c). Quarta *Romam* cepit. Quinta *Alexandrum* obsedit. Sexta, ab Alexandro P. R. pedibus conculcatus d), qui acclamari iussit: *Super aspidem & Basiliscum ambulabis & conculcabis Leonem & Draconem*; & Imperatori respondenti, *Non tibi sed Petro* replicavit; *Et mihi & Petro*. Septima filio suo Regis Siciliae filiam conciliavit, in terra sancta *Iconium* cepit. *Secundus actus* hic est. Imperator optimus *Henricum Leonem* e) Saxonie & Bavariae Ducem, fortissimum bellatorem Majestatis accusatum, proscripsit. Totam Germaniam pacavit. *Woldemarum I.*

Daniæ Ducem ad regium honoris fastigi-
um evexit *f*), & Marchionem *Austria*
(quem solitus fuit appellare cor & clypeum
Romani Imperii) creavit Ducem. *Her-*
mannum Comitem Palatinum Rheni &
decem socios Comites alios, quòd se in Italia
absente, prædationibus & incendiis pacem
publicam turbassent, per integrum milliare
Germanicum, *canem* portare coëgit *g*).
Tertius actus consistit in expeditione Asia-
ticâ susceptâ adversus Saracenos Christia-
næ religionis hostes perpetuos, in quâ indi-
gnissimâ morte periit, tanto omnium cum
luctu, ut vix ulli Principum plus lachrymarû
datum fuerit. Imperii tenuit fasces an. 38. *g*).
Eodem tempore clarus fuit *Petrus Come-*
stor inde dictus, quòd *Biblia* ita memoriter
proferret, quasi ea in memoriæ ventrem,
esu comedisset.

XCVIII. HENRIC. 6. *a*) Friderici Bar-
barossæ Filius, sucescit A.C. 1190. *b*). Prin-
ceps Patri ingenio & moribus multum dis-
similis, voluptatib⁹ suis magis, quàm Reip.
addictus, privatim in libidinem *c*) proclivi-
or, publicè in vindicandis injuriis asperior,
ob severitatem *Asper* dictus. *Henrico Leonis*
d) gra-

d) gratiam fecit. Sub eo *ordo Militiæ Tenu-
tonicus* e) in obsidionem Ptolamæidis insti-
tutus fuit. Ipfisq; Henricus Imp. donavit
vestem albam & crucem nigram. Regn. 8.
ann f). Hæc tempora terris hominum fla-
gitiis, diris populorum inimicitiis & infan-
dis hæresibus fuere infamia. *Curia Papatis*
ut mare, quò omnia flumina decurrunt, &
tamen non redundant. *Missæ* quoque con-
firmata, quæ dicitur drama comicum, thea-
tri iugamentum, Paparum somnium, Dia-
boli trophæum, Synagogæ propudium, su-
perstitionis compendium & religionis
Christianæ corruptela. Hanc Carolus V.
solitus fuit appellare cor suum. Rectè au-
tem Pontificius quidam ad amicos dicere
est solitus: *Eamus ad communes errores, id
est, ad Missam.*

XCIX. PHILIPPUS a) Fratri successit
A. C. 1198. b) contra ipsum electus Otto
IV. Henrici Leonis Filius, quem confirma-
vit Papa, & Philippum excommunicavit,
quòd ad nutum ejus componere nollet,
unde magni motus passim in Germania ex-
orti fuerunt. Tandem ab Ottone Wittels-
bachio forte in cubiculo quiescens trucidatus

tus est *c)* *Otto* quoque Patricida non multo post miserabiliter trucidatus periit. Regnavit 10. ann. *d)*.

C. OTTO IV. *a)* successit A. C. 1208. *b)* Sub quo Imperatore lex de eligendo Imperatore denuò his verbis sancita fuit: *Imperatorum nullus hereditariam Dignitatem vindicato.* Princeps neglectis Principibus, cum Episcopis multa secretò disposuit. Primus fertur, qui in Germaniam duxit Monachalem Domini Canonem *c)*, qui Ordo tum dicitur cepisse, cum alio quodam, quem vocant den *Barsüßer Orden* oder *Capiciner d)*. Pontifici tamen suspectus, ab ipso excommunicatus, & Imperatoris titulo privatus est. Vitæ reliquum privatus & inglorius Brunsvigæ traduxit, cum annos tantum 4. *e)* rerum potitus esset. Conjux ipsius fuit *Beatrix*, cujus hoc celebratur Epitaphium: *Filia formosa, jam civis, ante rosa.*

CI. FRIDERICUS II. *a)* successit A. C. 1202. *b)* Princeps Avo Friderico Barbarossæ similinus, & summis illis omnium temporum heroibus annumerandus, qui cum virtute & gloria bellica excellentem in omni doctrinarum genere eruditionem
con-

conjunxere. Quippe qui ingenio ad omnes artes fuit promptissimo, adeò ut Italicam, Germanicam, Græcam, Saracenicam linguas egregiè calleret. Animo autem fuit magno, excelso, inque periculis intrepido, in utraque fortuna constans & moderatus, acer in præliis ac providus, manu & consilio promptus, à crudelitate alienissimus. A tribus Pontificibus quinque excommunicatus fuit, quas excommunicationes gladio effringere conatus est c). Majestatem Imperii exemplo Majorum suorum strenuè asseruit in Italia contra rebelles & perfidos Papas Gregorium IX. deposuit, & reluctantem obsedit, gravissimè ulturus, si vivumprehendisset. *Papam* appellavit Herodem, ad Ecclesiasticos dixit manducare eleemosynas pauperum pinguè factos, dum mendicant veri Christiani d). *Inquisitio hæreticæ* pravitatis hoc tempore fuit instituta: item *Cardinalitius* galerus, pallii redemptionis, annatæ, decimæ quintæ, & omninò taxa Cancellariæ Apostolicæ fuit roborata. *Bononienses* Imperatoris filium primogenitum Henricum captum è carcere dimittere recusarunt, priusquam Pater Imp. pro redem-

demptione catenam auream, quā urbis
mænia cingi possent e), exsolveret. *Nundina*
nas S. Bartholomæi, aliàs Moguntia habi-
tas, *Frankofurtum* transtulit f). Tandem
in expeditione contra Saracenos, in qua et-
iam *Ludovicus* Hassiæ & Thur. Landgra-
vius, maritus S. *Elisabethæ* fuit, obiit anno
Imperii 38. g). Eo impetrante *Mons* in
Burgundia suam deseruit stationem, & al-
teri cuidam monti se aggregavit h). Hoc
tempore vixit *Petrus de Vineis* i) assertor
Imperialis dignitatis.

CII. Post ejus obitum *interregnum* fuit
23. annor. a), septem interea Imperii, tan-
quam super *Penelopes* apud Homerum *nū-*
ptis dissidentes proci miserum lacerabant
Germaniam: Commemorantur autem hī:

I. HENRICUS HASSIÆ ET THU-
RINGIÆ LANDGRAVIUS b), in obsi-
dione Ulmæ lethaliter ictus occubuit, qui
Levir fuit S. *Elisabethæ*.

II. CONRADUS IV. c).

III. CONRADUS d) Svæviæ ultimus
Dux adolescens generosissimus à Carolo
Neopolitano captus, & svasu Pontificis
Clementis IV. decollatus.

IV.

IV. MANFREDUS SPURIUS e)

V. WILHELMUS HOLLANDIÆ COMES f), qui Colonia Principes splendidissimo convivio excepit, ubi mirabili opera *Alberti M.* Philosophi arbores frigidissima hyeme effloruere, herbæq; geminare g) occisus est insidiis Frisiorum.

VI. ALPHONSUS CASTILIÆ REX h), qui fertur decies quater perlegisse *Biblia* cum commentariis.

VII. RICHARDUS CORNUBIÆ COMES i) rejectus ab Electoribus,

His temporibus cum non esset Rex in terris, qui motus prædonum reprimeret, omnia per tumultum sine lege, sine ordine pro lubitu fiebant.

*Sequuntur Imperatores à Septemviris electi,
mixtim ex Austriaca Familia,
& aliis.*

CIII. Post diuturnum illud & grave, totiq; Imperio Romano exitiale interregnum, Imperii Rom. potestas & gubernatio ad *Rudolphum Comitem Habsburgensem a)*, quando ingenti cum exercitu in Castris ad
Basi-

Basileam esset, non sine singulari providen-
 tia Dei, nec non omnium Electorum con-
 cordi suffragio *Frankofurti A. C. 1273. b)*
 in Comitibus devoluto fuit. Idq; ob singula-
 rem ejus animi magnitudinem & præstan-
 tiam bellicamque fortitudinem, quam to-
 ties in Syria aliisque bellis, summe cum
 laude & honore confectis, probavit, adeò,
 ut ex hostibus suis XIV. victorias reportâ-
 rit; atq; inde *victoriosus* appellatus fuerit.
 Id quoque fato cuidam adîgnandum non
 immeritò quis dixerit, quod idem augustis-
 simæ *familie Habsburgi Austriacæ* condi-
 tor & amplificator fortissimus XIV. pro-
 creavit, ex iisque VII. masculos, & VII.
 foemellas; qui *numerus septenarius* aliàs sa-
 cer & masticus vocatur. A coronatione a-
 pud *Aquisgranum c)* statim totus in hanc
 curam incubuit, ut latrociniis, seditioni-
 bus, tumultibus, bellis, quibus ardebat
 Germania, sublatis, pacem Patriæ redderet
 & tranquillitatem. *Italiam* non est ingres-
 sus, neque coronam Imperialem Romæ de
 more Majorum, accepit, solitus illos Hora-
 tii versus, ex Apologo Æsopico desumptos,
 recitare: *Quia me vestigia terrent, omnia*
 ver-

versum spectantia, nulla retrorsum d). Fuit omnium facetissimus. Cùm aliquando duos audiret oratores e) quorum alter barbâ cana, nigro capillo: alter verò barbâ nigrâ, cano capillo erat, iis, citam expeditionem flagitantibus, respondit: se non prius absoluturum esse eos, quàm rationem diversitatis barbæ & capillorū reddiderint. Qui postero die responderunt: Alter, cujus barba cana, capilli nigri erant: *Omnem suam curam fuisse ut ori & gula satisfaceret, hinc barbam suam esse canam, capillos nigros: Alter: Barbam suam 24. annis juniorem esse capillis, qui statim creverint, cùm infans natus esset, barba non itidem: hinc barbam suam esse nigram, capillos canos.* Hoc responso delectatus Imperator, benignè eos dimisit. Omnia in *Germanica lingua* proponenda sanxit. In castris, ut miles, habitu incessit, tetrica nonnunquam veste f). Cùm tempore quodam in obsidione penuriâ cibi milites laborarent, in agrum rapis constitum se publicè contulit, & quibusdam extractis eas comedit. Quod ut alii vidissent, Cæsarem illo se cibo reficere, & ipsi latrantem stomachum rapis placârunt g). Neminem

minem aditu prohibuit, ad satellites dicens: Sine homines ad me venire, non enim ideo ad Imperiū sum vocatus, ut arculā includar b). auream vocem, in omnium Regum cordibus, gemmā scribendam! Frequens in ore ejus erat hæc sententia: Severum & immitem me fuisse aliquando pœnituit, lenem & placabilem nunquam. In extremo vitæ actu conspexit diadema regium aliquando ante se positum, de ingenti curarum & negotiorum mole conqvestus fuit, dicens: Quàm blando & jucundo fulgore oculos adspēctantium perstringis, & ad te allucis: verūm si mortales scirent, quantum molestiarum sub te lateat, nemo etiam humi sublevaret i). Regnavit 17. ann. 9. mens. k).
 Eo tempore *Margaretha*, *Hermanni* Comitis *Hennebergiæ* uxor, ob eleemosynam pauperulæ denegatam, uno partu 364. liberos, partim masculos, partim fæmellas edidit l), *Lamduni* non procul ab *Haga*, hodieque vestigia ejus rei ostentantur, quæ etsi cum Philosophorum quidem & Medicorum placitis, adeoque ipsâ naturâ, fortassis pugnet, sciendum tamen, omnes omninò regulas aliquam semper pati

ti exceptionem, accedente præsertim vel gratiâ, vel vindictâ divinâ, cujus Omnipotentia sæpè ipsam naturam & elementa rerum transcendit. Magis fidei accedit, quod *Cromerus* annotavit, eodem anno *Margaretham*, Comitissæ *Virboslai* uxorem, uno partu XXXVI. pueros edidisse. Eo etiam regnante, nim. A. C. 1284. m) 26. d. Jun. *Clades Hamelensum* accidit, dum enim cives sacram concionem audiunt, is, qui mures & rattos flumini miserat, nec satis pecuniæ acceperat, pueros 130. b) urbe eduxit in vallem *Kopfelbergiam*, ubi monte obruti sunt.

CIV. ADOLPHUS *Nassovicus* a), Præter omnium opinionem, *Moguntini* favore, A. C. 1292. b) renunciatus est Imperator, instructus est nec auctoritate, nec divitiis, nec prudentia. Statim exortum est funestum disfidium ipsum inter & inter *Abbertum Austriacum* *Rudolphi* I. filium, qui ob virtutem à plerisque Electoribus ad Imperium creditur fuisse designatus. Dum uterque affectat esse caput, in perniciem incidunt membra corporis omnia. *Adolphus*, ob rem domi angustam conducit se
sta-

stipendio ab *Eduardo* Angliæ Rege passus. *Thuringiam* ab illegitimo Domino emit, & vastavit. *Moguntinus*, favore in odium verso, de ipso deiciendo, in ejusq; locum *Alberto* substituendo, Electoribus autor fait. *Adolphus* verò vi Imperium retinere volens auxilio fretus *Ottonis*, *Bavariæ Ducis*, *Rudolphi Comitis Palatini*, & quarundam Imperialium civitatum, armatis copiis imprudeuter *Alberto* occurrit, & prope *Wormatiam*, prælio commisso, ipse ab *Alberto* cæsus est, annis VI. mensibus VI. rerum positus c). *Omnes tamen ferè Adolphi oppugnatores violenta periere morte.*

CV. ALBERTUS AUSTRIACUS a), devicto & occiso *Adolpho Nassovico*, A. C. 1298. b) *Frankofurti* in magno hominum concursu electus, & *Aquisgrani* c) ex more prisco coronatus, *Bonifacii VIII.* d). Pontificis (qui intravit ut vulpes e), regnavit ut leo f) mortuus ut canis g) assensu, Imperiū Coronâ donotus. Bella foris nulla, domi plurima, fortunâ variâ, gesfit, Princeps sagacitate & clementiâ nulli secundus, magnificus in bene meritos, scelerum vindex acerrimus, at regni opumq; alienarum nimium cupi-

cupidus, per *Elisabetham* uxorem *Exarchatum* Austriae *b)*, Comitatum Tyrolis, & Goriciæ acquisivit. Tandem à Johanne fratris sui Rudolphi filio, cum patriam hereditariam restituere negasset, misere trucidatus, regn. 10. ann. *i)* Eo imperante ex Clementis V. Pont. & Philippi Regis Galliaë conspiratione *omnes Templarii k)* uno quasi momento in tota Gallia deleti sunt, Germania in suos mitior fuit.

CVI. HENRICUS 7. *a)* Lützelburgensis *b)*, successit A. C. 1308. *c)* Paternis opibus haud potens, sed justitiâ prudentiaque, tam rerum gestarum gloriâ, singularique integritate illustrior, armis strenuus, rebus secundis nunquam elatus, adversis nunquam dejectus. Adeo devotus fuit, ut totas noctes ante crucifixum oraret *d)*, & Eucharistiam quotidie sumeret *e)*, quâ occasione etiam per Minoritam periit, qui ei hostiam venenatam dedit. Cæsar sentiens venenum finito sacro ita clam parricidam allocutus est: O Domine recedatis, nam si percipient devoti nostri malû, quod nobis fecistis morte miserabili moriemini, Deus vobis
igno-

ignoscat! veram pœnam non effugit captus
excoriatus.

CVII. Mortem Imperatoris ingens se-
cuta est fames, per totum triennium conti-
nuata, quæ ad mutuam mactationem, præ-
sertim in Bohemia & Polonia compulit in-
felices: parentes liberos: liberi parentes ju-
gulatos devorabant. Multa cadavera cruci-
bus detrecta ad sedandam famem suffurati
sunt. Nec telis vel armis agricolæ luporum
insultum, quò minus præda & esca ipsis es-
sent, arcere potuerunt. Ad hoc tempus de-
finiendum, assumptum est nomen CU-
CULLUM, in quo annus æræ Christianæ
(nim. 1315.) notatur: hoc versu:

Ut lateat nullum, tempus famis, ecce
CUCULLUM a).

Heuquàm dirum tum Germaniam fatum
excepit! acerrimæ contentiones ortæ sunt
super Electione & supra XIV. Menses b)
subsecutum est *interregnum* c). Tandem
Anno Christi 1318. d) LUDOVICUS BA-
VARUS e) inclytus heros in dissensione E-
lectorum creatus, quorum alii *Fridericum*
ejus nominis III. *Austriacum* f) elegerunt.
Quæ divisio Electorum ingentis belli civi-
lis

lis occasionem in Germania peperit. Post multa praelia Ludovicus Fridericum, virtute Sigfridi Svéppermanni, (cui bina ova, cum cæteri ob paucitatem victus tantum singulis vescerentur, assignavit, dum dixit: Dem Mann ein Ey / aber dem Schwippermann zwey g), cepit, & transactione factâ dimisit, domumque reversus, paulò post decessit. Regn. 8. ann. b). Porro Ludovicus fortiter & animosè restitit injustis Pontificum ausibus, & gravi oratione Francofurti in Comitibus habitâ, ostendit, *quàm nihil juris Pontifici sit in Imperium i*). Deposuit etiam JOHANNEM XXII. & substituit NICOLAUM V. Imperator etiam defensus est à MARSILIO PATAVINO & OC. CAMO, quorum hic excommunicatus à Papa, ad Imperatorem se recipit, dicens: O mi Imperator, Tu me gladio defende, ego Te verbis & scriptis defendam. Tandem à Clemente VI. excommunicatus. Regn. 33. an. k).

CVIII. CAROLUS 4. a) Henrici 7. nepos, successit A. C. 1346. b) contra eum tres alii c) successivè electi;

I. EDUARDUS Angliæ Rex d) florens gloriâ rerum gestarum, qui agens, quæ
domi

domi agenda habebat, oblatum Imperium reverenter recusavit.

II. FRIDERICUS Landgravius Thuringiæ *e*) auro persuasus etiam recusavit.

III. GUNTHERUS Comes Schwartzburgensis *f*), Etsi assentiri electioni noluit, priusquam publico decreto testatum fecissent Principes, collocari se in sedem Imperatore vacuam, tamen coronatus est Aquisgrani *g*). Accessit ad urbem Francofurtum instructus exercitu & castris ad urbem positus æmulū præstolatus est, ut causam bello decerneret, verum is etsi eodem suas etiam adduxit copias, tamen vim belli experiri, & fortunam viri strenui ac bellicosi ac vires universas in unius diei prælium intendere non fuit ausus. Tandem Carolus Güntherum per venenum, à Medico in potiuncula porrectum, inutilem ad Imperium fecit, ejusque hæredibus pro Imperio numeravit certam pecuniæ summam. Güntherus considerans valetudinem suam adversam invitus assensit, Carolum vicissim salutavit Regem. Victus vi morbi, sexto ab electione mense obiit. Ita Imperium retinuit Carolus IV. & Mediolani ferreâ *h*), Romæ aureâ
coro-

coronâ *i*) coronatus. Princeps quidem clarus, sapiens, & literarum ac linguarum cognitione instructus, doctorumq; virorum consuetudine summè delectatus; apud Annalium Scriptores tamen jure malè audit, quòd regnorum Bohemiæ & Franciæ, quàm Imperii amantior; quòd rei privatae *k*), quàm publicæ; suæque posteritatis, quàm Imperii Majestatis amplificandæ avidior; quòd denique pecuniæ, quàm justitiæ & æquitati fuerit addictior. Utut autem hic Imperator homo, & nihil, quod humanum, ab eo alienum fuerit, tamen saluberrimam Auream Bullam *l*) quæ dicitur *Lex Carolina*, ubi comprehendit leges ritusque in electione Imperatoris servandos, constituit. Frankfurtum nundinis vernalibus donavit *m*). Regnavitque 32. ann. *n*) Circa hæc tempora vixerunt Bartholus *o*) & Baldus *p*) Jureconsultorum coryphæi.

CIX. WENCESLAUS *a*) Porcus spuy-
 leus, *b*) asin^o ad lyram, alter Sardanapalus,
 Vini, quàm Imperii curiosior *c*), prece &
 precio Patris Caroli IV. ad Imperiū promo-
 tus A. C. 1378. *d*) Princeps homini nihil si-
 mile habens præter speciem, impuritatem

E

pri-

primò, mox crudelitatem seclatus: *Norinbergē* sibus e) immunitates quasdam f) quatuor plaustris vini *Bacharacensis* g) vendidit. Bis captus in carcerem coniectus h), bis ex eodem evasit i), primò operâ *balneatricis*, secundò *piscatoris*. Imperium recuperavit, quod ei tandem communi Electorum calculo fuit abrogatum. Regnavit 22. ann. k)


l) Chymista & Monachus Germanus
C. 1380. l) in perniciem generis excogitavit ferale bellicæ armaturæ tormenta & bombardas m).

Wenceslao surrogatus est *Brunsvicensis*, n) sed *Frankofurto* a suis lares proficiscens, in *Hassia* populariam ab *Henrico Waldeccia* Constantino Moguntini, occisus fuit o).
to igitur conventu Electorum, Indictus est.

CX. RUPERTUS PALATINI
C. 1400. b) Armis exercitatissimus, magnusq; acerrimi, ac insignis justitiæ cultor c), coronatus est *Colonia* d). Auctor est omnium Principum, qui ad *Rheni* ambas ripas & in *Germania Nariscis*, sive *Bojis Aquilonari*

naribus longè lateq; dominantur e). Hic
 Imperator non nisi coacty bella gesit, me-
 mor illius Augusti Caesaris: Bellare est au-
reo hamo piscari, cuius semel amissi jaetura
nulla vel lucrosissima piscium captura com-
pensari queat f) Regnavit 10. ann. g). Eo
 regnante DUO STUDIOSI Lutetiae stran-
 gulantur, quos Praefectus urbis ipse de pati-
 bulo solvere & osculari coactus est h).

eum natura, Scriptura & jure gentium. Ex hoc Concilio infinitæ ortæ sunt turbæ, & in primis *Bellum Hussiticum*, quod gessit *Johannes Zysca*, nobilis in aula Sigismundi constitutus, qui, collectis Hussitarum copiis, undecim præliis victor, nunquam consilio erravit, unde cum *Camillo* confertur. Post mortem *Zyscæ* in terrorem hostis *tyrannum* ejus cute clauserunt f). In hoc Imperatore nihil, præter fortunam, quæ in Dei, non hominum, manu est, desideratum fuisse, scribunt. Cæterum Imperator doctrinâ, humanitate, sapientia præstantissimus, literarum & literatorum studiosissimus. Aliquando à Principibus Germanis reprehensus, quod doctos homines, sed humiles familiâ, foveret. *Ego* inquit, *eos amo, quos natura alios antestare facile voluit.* Munificentia ejus multa extant & illustria exempla. Objicienti cuidam ex ministris, quod ditioribus multa, egenis nihil largiretur, duabus pyxidibus g), alterâ aureâ, alterâ plumbea, optionem oblatis, ostendit; *Bona honoresq; non tam humanitus, quàm divinitus conferri.* Purpuratis, maledicentiam Germanorum apud eum accusantibus, re- spon-



spondit: An vobis grave videtur, illos malè loqui, cum nos male Agamus. Regnavit 27. ann. b).

Imperatores sejunctim ex solis Austriacis.

CXII. ALBERTUS II. a) *Austriacus* Sigismundi Imp. gener, successit A. C. 1438. b) Uno anno ter creatus, *Rex Hungariae c), Rex Bohemiae d) & Imperator Romanus e),* Fortitudine, liberalitate, clementiâ & religionis amore clarissimus fuit, ut ob sacrorum cultum Monacho, quàm Principi similior, à malevolis diceretur, nec ultra biennium f) imperavit, Imperator sanè longiorivitâ dignus. Uxorem prægnantem reliquit, quæ sequenti anno peperit posthumum *Ladislauum g).*

CXIII. FRIDERICUS IV. a) *Austriacus* A. C. 1440. b) communi Electorum voto Cæsar designatus, motibus Austriacis sedatis, postremus Romam, sed placidè profectus, à Pontifice Nicolao V. maxima cum solennitate consecratus est c). Pacis d) omni vita fuit amantissimus, cujus tuendæ studio nihil antiquius habuit, à bellis autem

cum naturâ, tum ob iniquitatem fortunæ, quam adversam experiebatur, abhorruit, multa tamen per alios bella feliciter confecit. Cæteroquin *Fabio Maximo*, quàm *Scipioni* fuit propior, multa ponens in cunctatione e), non in celeritate rei conficiendæ. Commendatur ob studium sobrietatis f) & odium ebrietatis. Contraxit matrimonium cum *Leonora*, Alphonſi Portugalliæ Regis filia, unde in unam domum coaluerunt *Austriaci & Hispani* g). Fridericus præfuit Imperio Romano diutius, quàm Imperatorum quispiam, nîm. 53. ann. h). Hoc tempore 1440. inventa est *Moguntia* laudabilis illa & utilissima *Ars Typographica* i) à *Job Fausto*. Placet *Philippi Beroaldi* Itali, in Germanos grati, exclamatio:

*O Germania muneris repertrix,
Quo nil utilius dedit vetustas,
Libros scribere quæ doces premendo!*

Sub eo *Inquisitio Hispanica* k) instituta, & A. C. 1444. *Vladislaus* Hung. Rex ab *Amurathe* ad *Varnam* in Hungaria coelus l)

Cum *Amurathes* Turca ipsum Christum implorasset, ut, si Deus verus & æquus esset, violatæ, quia cum infideli inita erat, sua su
Engel-

Infideliæ pœna.

Eugenii Papæ, à Ladislao pacis, vindicentem se præstaret ac pœnas sumeret *m*]. In Oriente floruit fortissimus *Scanderbeg*, cum quo improspere militavit *Amurathes*, *Mahometes* Ann. Chr. 1453. expugnavit *Constantinopolin* & *Trapezuntem*, & sic Imperium Orientis prorsus ad Turcas transiit *n*]. *Muse* tum ex Oriente in Occidentem, puta in Italiam, concesserunt, indeque postea alpes transvolârunt in Germaniam *o*]. Sub eodem A. O. 1492. à *Christophoro Colombo* detectus est *Novus Orbis*, qui vulgari sermone *America* *p*] appellatur ab *Americo Vesputio*, altero suo repertore.

CXIV. MAXIMILIANUS I. *a*] successit A. C. 1493. *b*) Friderici IV. filius, ab infantia penè in nonum ætatis annum *elinguis* fuit, ut plerisque mutus judicaretur, postea evasit *infertissimus* *c*] & doctissimus, adeo quidem, ut scripserit *Opus Poëticum* de *invidia* & *curiositate*, & *portam honoris* literis consignaverit. *Genealogias* denique *Herorum* primus inter Germaniæ Principes indagavit. *De* *Præceptore* suo plagiolo *d*) & spinoso dixit: *Si jam viveret Præceptor meus, daret pœnas suæ futilitatis*. Matrimonialinexu

sibi iunxit *Mariam* Caroli Burgundi e) filiam unicam heredem, corporis formâ elegantissimam & castissimam, ex quo quidem connubio omnes Ducat⁹, Principatus, Marchionatus, Comitatus & Dominia, quæ præfatus Carolus Dux terrâ marique possedit, felici domui Austriae hereditario jure perpetuò accesserunt. Verùm illa præmatrâ morte ex casu equi obiit. Postea domû ducere voluit *Annam*, Francisci postremi Ducis Britannia citerioris filiam, quam violenter Carolus VIII. rapuit, cum ad Sponsum Imp. pergeret f) quare postea duxit *Blancam Mariam* Mediolanensem. Princeps in omnium virtutum genere conspicuus, bello acerrimus, aliquando fortuna, animo semper maximus, consiliis Dux, miles manu, odio in hostes, ut olim *Hannibal* in Romanos, juventam honestam exercuit laboribus, virilem ætatem illustribus factis adornavit, Senium optimis munivit consiliis. Symbolis hisce delectatus fuit: *Tene mensuram & respice finem.* Et: *Charitas non expectat egentis petitionem, ubi necessitatem videt, priusquam petitur, opitulatur & auxilium offert.* *Militaris disciplinae*
ex-

excultor fuit gravissimus, & *Machinarum bellicarum* excogitator ingeniosissimus. *Bella* gessit plurima & difficilima domi forisque g), sed magna ex parte necessaria, multis victoriis de *Gallis, Eburonibus, Batavis, Morinis, Hungaris, Bohemis, Helvetiis, Bojis*, inprimis autem *Venetis*, clarus & nobilitatus. Memorabile de hoc Imperatore, quòd loca ad supplicia fontium destinata prateriens venerabundus dixerit: *Salve sancta justitia* h) A. C. 1495. i) instituit *Supremum Judicium Camera Imperialis*, das *Kaiserliche Kammer-Gericht* k), quòd ambulatorium primò, tandem Ann. C. 1526. l) fixam sedem obtinuit *Spire*: *Danarum & cervorum venationibus* maxime indulgit, etiam cum vitæ suæ discrimine m). Cùm regnasset 25. ann. n) obiit *Maximilianus*, nec inopinata ipsi fuit mors, siquidem memor fragilitatis humanæ, ferreturum suum o) per integrum quinquennium secum, quocunque iret, habuit, existimantibus aulicis, thesaurum in eo esse aliquem reconditum.

Erant circa hæc tempora tres potentissimi ac sapientissimi Principes, *Solymanus*

E 5

Tur-

Justitia
Camera Imperialis
Memor mortis. Amator venationum
Homs.

Turcarum Imp. *p)* *Carolus* Hispaniorum *q)*,
Franciscus Gallorum Rex *r)*. Claruit tum
Martinus Lutherus s), ultimi temporis
 Elias, qui An. C. 1517. contra indulgentias
 primum disputavit. *Leo* citavit Lutherum
 ut Romæ præstò esset; sed Lutherus ma-
 sculè restitit.

CXV. CAROLUS V. *a)* Philippi Hi-
 spaniarum Regis filius, A. C. 1519. *b)* ele-
 ctus in Imperatorem *c)*, & Aquisgrani ma-
 ximâ pompâ coronatus est. A quo anno in-
 cipit septima & ultima periodus Apocaly-
 ptica, quæ ad finem mundi se extendit. *A-*
pocal. 10. & 11. Quicquid in magno deside-
 rari Principe potest, in Carolo V. reperio,
 ut merito *Maximi* illi nomen *Paulus III.* in-
 diderit. Regias cogita virtutes: Omnes re-
 peries, parendo, tuendo Imperio necessa-
 riâs. Tota Caroli vita nihil ferè aliud fuit,
 quàm perpetua belligeratio *d)*, quem è ve-
 teri novoq; orbe, suo suorumq; ductu, *qua-*
draginta illustres ab hostibus victorias re-
 tulisse scribunt, ut nihil tangam leviora
 prælia; perhibent eum bella & numero, &
 hostium potentiâ ac viribus magna, supra
 septuaginta, ad optatum exitum deduxisse,
 castella

castella supra centū millia, & decies octin-
 gentas urbes, navesq; supra decies & octin-
 gentas hostiles cepisse. Et ut brevibus sin-
 gula tangam, lego *Hispanica* bella qua-
 tuor, felicia omnia; *Italica octo*, inter quæ
 nobilissima; *Primum Insulanicum*, ducibus
 Columnâ & Marchione Pescarâ. *Secun-
 dum, Papiense*, ducibus Borbatio, Lanajo,
 Pescarâ. *Tertium*, in quo Comes *Simpolius*
 ab Antonio Leva captus, *Mediolanumq;*
 non semel armis subactum, Ducibusque
 redditum. *Neapolitana duo*: Præmium re-
 gnum universon fuit. *Hetrusca tria*, in
 quibus Hetruria non semel Ducibus suis
 parere iussa. *Germanica sex*, inter quæ hæc
 maximè elucet; *Primum, Rusticanum*,
 in quo intra quadraginta dies pugnatum
 septies, centum & quadraginta milli-
 bus cæsis. *Secundum, Smalcaldici fœderis*,
 cujus gratiâ multa Comitia & Religionis
 conventus instituti. *Prima Comitia institu-
 ta Wormatia e*), ad quæ citatus *Lutherus*
 comparuit. Cùm Carolo nonnulli ex Con-
 siliariis suaderent, ne *Luthero* fidem serva-
 ret, respondit: *Etiam si fides toto orbe exu-*
laret, se tamen promissa servaturū, imò poti-

us se Imperium relinquere, quàm fidem falle-
re velle. Secunda *Norimbergæ f)*. Tertia *Spi-*
rag). Quarta *Augustæ b)*, unde pura no-
stra Religio nomen accepit. Quinta *Triden-*
tii); &c. Tertium, *Saxonicum*, in quo *Fri-*
dericum Saxonem k) vi victoriæ captum,
Philippum Magnanimum l) Hassiæ Land-
gravium, nefario *Atrebatensis* Cardinalis
 dolo (qui unius literulæ inversa forma di-
 versissimum sensum induxerat,) seductum,
 quinquennali custodiâ detinuit. Sed malo
 suo. Nam hinc *quartum*, in quo Carolus
 infestatus fuit à Mauritio Saxone, Alberto
 Brandenburgico & Wilhelmo Hasso, & ca-
 ptos Principes dimisit, & postea *Pacem pas-*
savicam concessit, quæ solet dici *Transactio*
Passaviensis m) & *Pax Religionis.* *Quintum*,
Viënense, cùm Solymannum nunc trecentis,
 nunc propè sexcentis suorum millibus ar-
 matum, solvere Viennensem obsidionem
 bis coëgit. *Belgica novem*, inter quæ illu-
 stria; *Primum* apud Veromanduos *Phili-*
berto Allobrogum Duce, in qua pugna
 Egmondæ Comes viam primus audaci fer-
 ro felicissimè aperuit. *Secundum*, apud *Gra-*
velinganos ejusq; Comitum ductu & felicitate

te peractum. *Juliacensia septem*, quibus Gel-
